PIUS AMOR

INTER LILIA, ET JACULA MODULATUS.

PIUS AMOR

INTER LILIA, ET JACULA MODULATUS.

QUO

PENE TOTA MORALIS, ET AFFECTIVA DIVI AMORIS DISCIPLINA FACILI METRO SUADETUR.

AMORE SE SIBI VATE

Deus Nobis hæc Ocia fecit:
Namque erit Ille mihi

SEMPER DEUS.

Virg. Ecl. 1.



VERONÆ, MDCCXXIII.

Ex Typographia Petri Antonii Berni Bibliop. in Regione Leonum.
SUPERIORUM PERMISSU.

U N I

DEO AMORI

OPTIMO MAXIMO

UNIVERSO

RERUM AMORUM

A M O R I

OMNIA UNUS

P I U S A M O R

E S T O.

SYNTAGMA.

AMor a cognitione resultat: eo amatur Deus, quo cognoscitur Deus. Triplici via, ex D. Thoma (a) *cognoscitur, & amatur Deus, nimirum per Opera Naturæ, per Mysteria Gratiæ, per Attributa, & Bona Gloriæ.* DEUS OPTIMUS MAXIMUS *est Rerum Principium, Medium, & Finis: quippe Qui est Creator, est Redemptor, est Munerator. Deus Creator est Author Naturæ: Deus Redemptor est Author Gratiæ: Deus Munerator est Author Gloriæ. Igitur per Opera Naturæ cognoscitur, & amatur Deus Creator, quatenus Principium Rerum omnium conditarum. Per Mysteria Gratiæ cognoscitur, & amatur Deus, ut Medium, seu Mediator Humanę Reparationis, & Salutis. Per Attributa, & Bona Gloriæ cognoscitur, & amatur Deus Munerator, nempe ut beatus Finis Rationalis Creaturæ.*

Ergo hujusce Pię Camænæ Syntaxis hæc esto. Præmissa brevi Theoria de propria Amoris facultate, inducitur primo Amor Deus ipse in Semetipso, inde in Ope-

(a) 1. 2. q. 110. a. 6. de Ver. art. 10. ad 3.

Operibus suis circa Naturæ formationem editis; ut ex eorum notitia arguatur Amor erga Deum Optimum, Maximum, atque Dignissimum in Se ipso præcise, nec non in Res suas Potentissimum, Sapientissimum, ac Munificentissimum PRINCIPIUM. *Subinde recensentur Mysteria Gratiæ; ut quæ instituta sunt a Deo Redemptore pro Naturæ ipsius instauratione: quibus tamquam Appendix junguntur Magisteria Virtutis [Virtus enim Gratiæ collactea Soror esse dicitur,) ut ex Gratiæ, & Virtutis notitia, ac praxi, inferatur Amor erga Deum benignissimum* MEDIATOREM, *totiusque Virtutis Exemplar, ac Magistrum integerrimum, æque ac Opificem præstantissimum. Tandem enuntiantur Dei attributa, & Bona Glorię; ut quæ insimul formant supremum, ac perfectum Naturæ, Gratię, Virtutisque Complementum, Objectum, ac Præmium; quatenus ex eorum contemplatione incendatur Amor erga Deum, Summum Bonum, ac Amplissimum Muneratorem; adeoque Unum, Optimum, Maximum, Ultimumque Rationalis Amoris Terminum, Quietem, ac Plenissimum* FINEM.

Hinc ecce breve totius item Doctrinę Mysticæ Compendium, certaque Methodus, nempe Agnitionis, & Amoris Dei, tum quo ad Primum gradum per Naturę sensibilia; tum quo ad Alterum per Gratię Mysteria, quo ad Supremum denique per Glorię Objecta, & Attributa, in Deo tandem ut Rerum, ac Bonorum omnium

Pro-

Protypa, Principia, atque ultima Complementa, contemplata, ac unice, summeque adamata.

Quod quidem etiam hujusce Metri Titulus præsefert: PIUS AMOR: *in quo promiscue venit mutuus Amor, tum Dei erga Homines, tum horum erga Deum:* INTER LILJA, & JACULA: *Scilicet inter Mores, & Amores: inter Lilia utique integritatis Morum, ac Jacula ardoris Affectuum: illa quidem in mystici Amoris Apparatum: hęc vero in practici Amoris Exercitium. In quo bifariam stat universa* MORALIS, & AFFECTIVA DIVI AMORIS DISCIPLINA; *ac proinde tota inest Sanctioris Vię, ac Vitę, Purgativę inquam, Illuminativę, & Vnitivæ Institutio.*

Hæc plane dicto ordine hic modo exhibetur, facili utique Metro, ut jucundius, altiusque animo suadeatur; quippe, ut ajunt, Musicam docet Amor; *quin & Amorem Musa vicissim docet. Ubi si quid minus Ortodoxi sensus expressivum occurrat, metro utique, haudquaquam menti adscribendum volumus; atque hic semel pro semper contestamur.*

Tandem ad planiorem intelligentiam præmonemus Nomen Amoris *trifariam hic usurpari: nimirum vel pro absoluto Dei, Totiusque Trinitatis erga Homines Amore, juxta Apostolum Joannem:* Deus Charitas est: *(a) nec non Ecclesiæ concentum:* Charitas Pater est, Gratia Filius, Communicatio

(a) 1. Jo. 4.

catio Spiritus Sanctus: o Beata Trinitas! *Vel pro distinctamet Sancti Spiritus Persona, qui peculiarius Amor dicitur. Vel denique pro affectu, ac habitu illo Charitatis, quo ab Hominibus redamatur Deus. Item ea Carminum Lemmata*: Amor Cœlum: Amor Angeli: Amor Sol: *&c. venire in sensu comparativo; adeoque grammaticè sonare: Considerantur* Amor, & Cœlum *ad invicem respecta; &c. Sic ea quoque:* Amor Fortitudo: Amor Humilitas: Amor Obedientia; *& alia ejusmodi, intelligenda esse*, imperatè, *non* elicitè *juxtà Theologos: quatenus earum Virtutum actus Amor imperat, promovetque, a se utique etiam habitu distinctos. In quo item sensu dicitur*: Charitas patiens est, benigna est: Charitas omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. (a)

Cœterum in hoc PII AMORIS *argumento, sicuti sententiæ, ac affectus rationi tenacius inhærere, quam fucatæ Poeseos dictioni accinere, perpetua mens fuit; ita eo pariter ingenio, genioque hæc excipi velimus, immò & obsecramus. Enimvero a Pio cantu feriatas Horas, ex Amoris Pietate itidem ore alieno recinendas fore arbitrati, haudquaquam verò in censuræ odium, aut ocium disceptandas, eas planè in Amoris unice gratiam hic palam utut resonare licere in aures pias pie credidimus: adeoque & Carmen eo Titulo prænotavimus*:

(a) 1. Cor. 13.

PIUS

PIUS AMOR.

Maxima pœnarum est, Vitam sine Amore diurnam
Ducere : non est id vivere: juge mori est.

Ut Cor vivat, Amoris eget : sic vivere Nemo
Vel sine Corde potest ; vel sine Amore potest.

At quis AMOR Vita est Cordis? PIUS, anne Prophanus?
Anne Homo Vita Homini, vel Deus esse queat ?

Haud Homini alter Homo est Vita ; est illusio Vitæ :
Haud Homine alter Homo vivit: Uterque perit.

Perque minora sibi minus est Homo vivere compos ·
Ergo supra Hominem vivat, AMORE, DEO.

INTER LILIA, & JACULA.

LILIA nectuntur JACULIS; sunt LILIA MORES:
Est AMOR in JACULIS: nec nisi juncta flagrant.

Quo fragrant, simul Utra flagrant: vivuntque vicissim:
Candidus ardet Amor : fervidus albet Amor.

Nulla stat Integritas sine Amore ; nec ullus ab illa
Stat sejunctus Amor : stant Utra nexa. Rogo .

Quid valet impuro jaculari è Corde Sagittas ?
His non illicitur ; sed temeratur Amor.

Par gaudet Candore Deus : par gaudet Amore :
At plus Candorem, plus ut ametur, amat .

Vivit, & ardet Amor, si Lilia pascitur inter :
LILIOLIS, JACULIS albet, & ardet AMOR.

MODU-

MODULATUS.

Est PIUS, est MODULATUS AMOR JACULA Inter AMORUM.
LILIA MORUM inter, Carmine utrinque pari.

Nec nisi Carmen AMOR, metro numeratur Amoris:
More, & Amore pari, Musa, & Avena sibi est.

Dulcis Amor canere est; quo sese Amor edit, & auget;
Delicium sibi fit: Deliciasque facit.

Haud melius suadetur Amor, quam Carminis Æstro;
Hoc patitur, loquitur, gaudet, & audet Amor.

At potius PIUS optat AMOR sibi Carmen, & aptat:
Nec magis ac Metro pangitur Ordo, Deus.

Metrum, AMOR, Ordo, DEUS Nobis haec Ocia fecit:
Nanque erit Ille mihi SEMPER AMORE DEUS.



PIO AMORI VOTUM.

I.

O MEA MENS, ET AMOR MEUS, O DEUS, OMNIA SOLUS!
Quo ſum, Quo poſſum, Quo loquor iſta modo.

A Te Principium fandi, a Te manat Amandi
Principium: prior hac nec fuit Arte Deus.

Ah ſi Te pietas, noſtrique acceptio tangit,
Ne dedignere in me Tui Amoris Opus.

Te ſine Mens neſcit; ſine Te Cor neſcit Amorem:
Neſcit Muſa Metrum: carmina neſcit Amor.

Ergo Pater Menti Verbum, Cordi ingere Amorem;
Quo mens Te capiat; Te moduletur Amor.

Omnia, quæ loqueris, facis Ipſe, ac diligis Ipſe:
Fac, doce, ut in Te uno Cuncta loquatur Amor.

O MEA MENS, ET AMOR MEUS, O DEUS OMNIA, ADESTO;
Te ſapiam in Cunctis: Cuncta in Amore canam.

AMOR TRIBUTUM.

II.

ECquid ego deferre auſim Tibi nomine Doni,
Quando eſt jus primum Legis Amoris Opus?

Da precor hoc ipſum, quod præcipis Ipſe, Tributum.
Deh prior Ipſe me ama: meque, ut ameris, ama.

At prior Ipſe me amas: cur non ego amabo ſecundus?
Cur? quia nolo: ergo da, rogo, velle prius.

Ergo ut Amor meus hoc tibi Amori Opus edat Amoris;
Da mihi, & hoc Tibi Opus velle dicare prius.

Mille Tibi grates: hoc jam mihi velle dediſti:
Reſtat Opus facias, accipiaſque tuum.

AMOR ARGUMENTUM.

III.

QUare Amor iſtius cauſa eſt, calamuſque Libelli?
Quare Argumentum non niſi fecit Amor?

Crede mihi, thecas typi abunde, ac undique replent:
Aſt Amor in toto eſt unicus Orbe Liber.

Quidquid ſcribatur; quidquid cudatur, Amoris
Eſt Opus, aut ſcopus eſt, cauſaque, Finis Amor.

Plus quid habet Liber hic? veri diſcrimen Amoris.
Unicus ergo Liber non niſi verus Amor.

AMOR PRÆCEPTUM.

IV.

QUid Tibi ego ſum, dives Amor; quod præcipis à me
Diligi, aduſque minans, Te niſi totus Amem?

Ac niſi ab Igne tuo caleam, æterno igne flagellas:
Ceu mihi noxa levis non Te adamaſſe foret.

A me ſupplicium timeo: hoc eſt, nolle Te amare:
Tolle mihi hoc potius, deh rogo, dulcis Amor.

Exul eam Cœlo: nigro incola deputer Orco:
Neutrum pœna mihi eſt, dummodo des, ut Amem.

AMOR DEFINITUR.

V.

QUid ſit Amor, dicam uno verbo: eſt Omnia, & Unus:
Omnia ab Uno: & ad Unum Omnia: Amor Deus eſt.

Quin Amor eſt quoque Homo: omnis Homo: omnis in
Omnia tendens;
Quæ Pulchra, aut Bona ſunt: Quæve putantur ita.

Eſt Animi actus Amor: ſed qui magis eſt in Amato;
Quam ſit ubi eſt Animus: Plus aliturque, ubi amat.

Omnia Dilecto bona vult: ſibi nulla requirit:
Plus bona Dilecti, quam ſua, ſeque facit.

Sin vere ſit Amor verus, meliore poeſi
Definitur Amor: QUOD SIT AMARE DEUM.

AMOR DIVIDITUR.

VI.

DIvidi Amor neſcit: diviſus deſinit eſſe:
  Quin diviſa unit verus, & unus Amor.

Dividitur tamen ille duplex, Hominiſque, Deique:
  Humanuſque triplex multiplicatur Amor.

Auri eſt primus Amor, Veneriſque Amor alter; Honoris
  Tertius: his diris ter laniatur Amor.

At modo multiplices abſint a carmine Amores:
  Hic individuus pangitur unus Amor.

Unus Amor, quia verus Amor, verus quia & unus:
  Scilicet Ipſe Deus, verus, & unus Amor.

AMOR ARGUITUR.

VII.

DIc mihi plus facilis quis Amor, Pius, anne Prophanus?
  Pluſne animi, an ſenſus dulcia ſentit Amor?

Dic mihi quid potius ſit Homo, ratio, anne voluptas?
  Mens magis, an Corpus? Brutum animalne, an Homo?

Dic mihi quid magis intus ineſt Homini, num Elementum,
  Aer, Ignis, Humus; Spiritus anne ſuus?

Dic mihi quidnam Hominem verè ſuum, & altius intrat?
  Nonne Animus, Ratio, Spiritus? ergo Deus.

AMOR

AMOR STUDIUM.

VIII.

OMnis Amor studium est discendi, ardorque sciendi;
  Quæ doceant, moveant: quæ bene doctus agat.

Et legit, & scribit, mandatque memoriæ Amoris
  Munera, Gesta; quibus gratior esse sciat.

Quo magis ille studet, magis ille & amare docetur:
  Hinc studium a cunctis est quoque dictus Amor.

Illo nemo datur toto Sapientior Orbe;
  Qui studet; ut semper discat amare Deum.

AMOR MAGISTER.

IX.

CÆtera Discipuli discant; doceantque Magistri:
  Mille libros habeant, dogmata mille sciant:

Me tamen unus Amor doceat: me cuncta Magister
  Unus Amor doceat: me doceatque diu.

Omnia doctus Amor doceat me: fallor, id unum
  Me doceat, solum semper amare Deum.

Cætera scire mihi liceat, sed cuncta ad amandum:
  Sitque Magisterium, sit mihi Pallas Amor.

AMOR RHETOR.

X.

ORat Rhetor Amor: totamque Artem ornāt Amandi:
Non quæ dicendi eſt; ſed bene amantis opus.

Ampliat, extollit laudes, ſimilatque Figuras;
Quæque tamen parili eſt laude Figura minor.

Edocet, oblectat, ſuadet vi fortius omni:
Vincit corde magis; diſſerit ore minus.

Ejulat Ille magis; proditque incondita verba:
Quippe Ars affectus motio tota ſua eſt.

O Amor Orator; doce in uno me omnia Verbo,
Nempe Amo, ſuade unum Tempus, ideſt Deum Amo.

AMOR ARS.

XI.

SCientia, & Ars Amor eſt, Sapientia, ſumma Facultas;
Atque Facultatum norma peritus Amor.

Qui cauſas rerum, Cauſam rerumque Supremam
Novit; cui ſola eſt regula ſcire Deum.

Scire tamen minus Ille putat; ſed Amoris & Artem
Nactus, & expertus; quod capit, Ille facit.

Atque omnes init Ille vias, media omnia ſervat;
Queis Primi Cauſa cognita Amoris amet.

Scientia res ſcire eſt: Sapientia ſcire Deumque;
Ars tamen utraque eſt Major amare Deum.

AMOR INDOLES.

XII.

NOn eget Artis Amor: Naturæ Amor indita vis eſt:
Vita vel ipſa Amor eſt: indole amatque ſua.

Nos Amor ipſe ſumus: ſatis eſt haud nos cohibere:
Cor volat ex ſeſe, quo trahit intus Amor.

Quo trahit intus Amor? quo fert genus inſiti Amoris.
Quo genus intus agit? quo vocat altus Amor.

Nos Amor ipſe ſumus: Natura ſtat indole Amoris:
Principium, & Finem nos docet illa ſuum.

Nos docet; atque movet: ſe ſe curritque, trahitque:
Nos Natura ſumus: nos Amor ipſe ſumus.

Ergo quid arcemus nos a nobis? ab Amore
Quid nos dividimus, quod ſumus, abnuimus?

AMOR SCIENTIA.

XIII.

NOſſe Deum in cunctis rebus, rerumque ſupremum
Auctorem, rerum Principiumque prius,

Magnum ſcire quid eſt; rerumque ſcientia verax;
At merito dici Scientia vera nequit.

Scientia vera, Deum ſcire, & qui ſcitur, amare eſt:
Illud mentis opus, cordis & iſtud opus.

Idque Hominis totius opus; totuſque Homo id eſto:
Quo ſine nil ſcire eſt: totus Homo nihil eſt.

Hæc duo ſcire ſat eſt; ſi plura his noveris ultra,
Aut nulla, aut levia, aut ocia vera ſcies.

AMOR SAPIENTIÆ.

XIV.

SCientia Principium rerum, Sapientia Finem
Rerum ſcire ſtudet; doctior utra ſtudet?

Doctior illa ſtudet, quæ rerum exordia novit:
Quæ capit & Finem, Sanctior illa ſtudet.

Cauſas noſſe Prior ſat habet: Fini Altera cauſas,
Seque refert: in eo totaque ſiſtit amans.

Te minus ergo ſciam: Sapiam magis, oro, Te Amorem:
Te noſſe opto ſatis: Te magis opto frui.

AMOR THEOLOGIÆ.

XV.

PLurima ſcire juvat: Deitatis pluraque ſcimus;
Quid ſit Amor ſcimus: ſcimus & eſſe Deum.

Cur adeo frigemus adhuc, cum tanta ſciamus?
Cur non reſpondet par quoque menti & Amor?

Cur modo dividimus, modo definimus Amorem;
Semper & arguimus, ſed ſine Amore Dei?

Noſque Magiſterio Deitatis Laurea cingit;
At caput illa magis, cor redimitque minus.

Scilicet ambimus plus doctæ laudis amorem;
Quam cupimus laudes de Deo Amore ſuas.

Eſto magis lumen cordis, quam ſcientia mentis,
O Amor; eſto calor plus mihi, luxque minus.

AMOR

AMOR ETHICA.

XVI.

EXagitat quadruplex mortalia pectora motus
Uno e corde, Timor, Gaudia, Mœror, Amor:

Unum justus Amor Deum amat, Gaudetque Deo uno;
Hinc Timor est unus posse carere Deo.

Hinc sua tristitia est, si quando amittat Amatum:
Hinc Amor est itidem, perditum ut inveniat.

Hoc ita circuitu recipit se, seque refundit;
Donec in obtento Fine quiescat Amor.

Sic regit affectus, moresque Ars Ethica princeps:
Virtutisque omnis Norma fit unus Amor.

AMOR SUI COGNITIO.

XVII.

LUmina bina dedit, menti, frontique Creator:
Ut bis noscatur, quis sit amandus Amor.

Non opus est, ut ames, scrutari arcana: videre
Illa sat est, quæ non ipse videre nequis.

Ne claudas oculos satis est: quæcumque recurrunt
Gesta ab Amore, tuo jus in Amore tenent.

At quid opus per cuncta oculis, & mente vagari?
Inspice te: quid sis cogita: amare scies.

AMOR ERUDITIO.

XVIII.

ERudit altus Amor, non æras, marmora, & æra,
Non Hominum Fastus; quæ meminisse parum est.

Eruderat juges Annos, lucesque beatas:
Disserit Acta Dei, quæ sapere omne opus est.

Erudit his, ut amet, gratusque ea dona rependat;
Ac minus acta, magis tempora agenda sciat.

Sæpe tamen studiosus Amor, simul illa recenset:
Unus ut e cunctis erudiatur Amor.

AMOR LIBER.

XIX.

ET legit, & legitur descripti Codicis instar
Doctus Amor; sed quæ continet iste Liber?

Munera, Gesta refert; portenta recenset Amoris;
Quæ facit; & grates quas agit Auctor Amor.

Est Alphabeti prior ipse Character Amoris;
A quoque Libri hujus littera prima Amor est.

Totus item Liber est Amor: omne Volumen in uno
Stat verbo: hoc Deus, & cuncta Leguntur, Amor.

Pagina quæque est cusus Amor; legiturque recusus;
Si quoque concipitur corde Legentis Amor.

AMOR

AMOR POESIS.

XX.

MUficam Amor docet; ac Mufam quoque difcit amando.
  Voce metri loquitur: nec nifi carmen amat.

Hoc animum mulcet: viduos folatur Amores;
  Hoc vota, hoc queftus, dum gemit ille, canit.

Cantat Amor, feu lætus amet; feu ploret amando;
  Ploratufque fuos verfibus hifce dedit.

Cantat Amor; quia vel fruitur: vel gaudia fperat:
  Vel quod amans Superis credit ineffe Choris.

Se fibi Vate canat: fua vox fit amora Libellus:
  Sit Deus, ut fit Amor: fitque Poefis Amor.

AMOR DEUS.

XXI.

EST Amor ipſe Deus: vivunt ab origine eadem
Eſſe ſui Deitas, atque Amor eſſe ſui.

Non eſt alter Amor; non eſt Deus alter ab illo:
Non Amor abſque Deo; non ſine Amore Deus.

Conſtat Amore Deus: Deo Amor quoque conſtat eodem,
Quo Deo Amor vivit; vivit Amore Deus.

Vita Amor eſt; quis enim vivit ſine Amore? quid æquè
Vita ipſa, ac Deus eſt? Ergo Amor ipſe Deus.

Se vivit, ſe gignit Amans, ſe ſpirat Amatum.
Totus Amatus Amans vivit Amore Deus.

Unus Amor Tres unit Amans: Tres unit in Unum;
Unus & Ipſe unum Tres facit eſſe Deum.

Ergo Amor, ac Deus idem eſt: ſed cur dicimus Utros?
Dicatur Deus; ut ſit quoque dictus Amor.

Utque Deus dicatur, Amor dicatur itemque:
Nomen idem ſit res ipſa; Deus ſit Amor.

Omnia Geſta ſuæ rata ſunt inſignia Cauſæ;
Quæ Manus una, Deus fecerit unus Amor.

Hoc ea concludunt ſcripta argumenta Libello:
Eſt Amor, ergo Deus: Si Deus, ergo Amor eſt.

O Deus unus Amor, Deus ipſe Amor unus, Amori
Ipſi uni unum fac me quoque ineſſe Deo.

AMOR

AMOR DEUS UNUS.

XXII.

ESt Deus, eſt Unus: Deus eſt Amor Unus: Amori
Convenit eſſe Unum; convenit eſſe Deum.

Convenit eſſe Unum; qui cuncta ſibi uniat Uni;
Et cuncta in cunctis Unus amandus amet.

Convenit eſſe Deum, Qui ſit, Quive omnia poſſit.
Quive habeat dandum his, quos amat, omne bonum.

Ergo ſtet Unus Amor, ſibi, nobiſque unice Amandus:
Qui Sibi, Qui nobis ſit Deus Unus Amor.

AMOR DEUS TRINUS.

XXIII.

PRimus Amor Deus eſt: Deus ut ſe novit amandum,
Se ſe Primus amat: Se quoque Trinus amat.

Qui noſcit, Pater eſt; Genitus qui noſcitur: Ambo
Namque ſciunt, ut ament: Fax ab Utroque flagrat.

Fax ab Utroque flagrans Amor eſt, & Flamen Utrius;
Unus ab Alterutro, Trinus Amore Deus.

Eſt Amor Una Trias: Genitor, Genituſque viciſſim
Eſt Amor: eſt unus Spiritus, Una Trias.

Unus Amor Pater eſt: Amor eſt quoque Filius unus:
Spiritus ipſe Amor eſt unus: Amor Trias eſt.

AMOR

AMOR TRIAS IN REBUS.

XXIV.

Rebus ineſt cunctis operoſa Potentia Patris;
Qua Res naſcuntur; quave tenente manent.

Rebus ineſt inſcripta ſui Sapientia Verbi;
Qua legitur Primi, ac diſcitur ordo Typi.

Rebus ineſt Patris, Verbique Amor inditus: Illæ
Quo prius Eſſe ſui, ſeque viciſſim adamant.

Rebus ineſt cunctis Triadis par inſita Imago;
Cui ſtudeam, ac ſapiam; at neſcio plus quid amem.

AMOR AMORIS.

XXV.

Gaudeo Te eſſe Deum, Unum, Trinum, maxime amandum,
Maxime Amatorem; Teque Te amare ſatis.

Namque ego vix minimum valeo, vel amare valebo,
Gaudeo me quantum, cuncta Te amare magis.

O Utinam magis ipſe queam, quam cuncta Te amare!
O Utinam in cunctis totus amare queam!

Gaudeo Te eſſe Deum juſtum, cunctiſque timendum;
Se d magis, atque magis gaudeo Te eſſe pium.

Virtutes tibi ineſſe pares par gaudeo; ſed me
Poſſe timere, minus gaudeo, amare, magis.

AMOR

AMOR PRINCIPIUM.

XXVI.

RErum Primus Amor, rerum prior extat origo:
Incipit, inſtituit, res quoque gignit Amor.

Cuncta creavit Amor: quidquid Cœlum, Mare, Tellus
Sunt, vel habent, unus cuncta creavit Amor.

Cuncta creavit Amor; cunctumque creavit Amorem;
Se ſeque in noſtro corde refudit Amor.

Ergo Creatori ipſe Amor omnia reddat Amori:
Omniaque ut reddat, ſe quoque reddat Amor.

AMOR ORDO.

XXVII.

ESt Amor ipſe Ordo: Omnia humi, Cœloque creata
Ordinat uni Homini, ſoli Hominemque Deo.

Tres Fines decernit Amor, Dulcem, Utilem, Honeſtum:
Uultque duos Homini, tertium ineſſe Deo.

Ergo bono utili Homo utatur, dulcique fruatur:
Aſt in utroque ſuus ſit Deus unus Honor.

At quia verus Honor, veri ſtat in ordine Amoris:
Sit Deus unus Honor: ſit Deus unus Amor.

Hoc ſape; nam tota hoc Sapientia in ordine ſiſtit.
Hoc ſapiens, & Amans eſt Deus: eſto & Homo.

AMOR FINIS.

XXVIII.

CUncta ab Amore fluunt: redeunt & Cuncta ad Amorem
Fons Amor est Rerum, metaque Fontis Amor.
Ergo, ne mea mens a recto tramite aberret;
Sit mihi Principium; sit mihi Finis Amor.
Cum nec eram; nec Amor mihi erat, me Primus amavit,
Me, cum prauus eram, Sanctus amavit Amor.
Cum nec eram me fecit Amor; mihi fecit Amorem;
Fecit & esse bonum me sibi: cur? ut amem. (tur:
Cur ut amem? ut magis Ille me amet; magis a me ut ame-
Nec sine me sit Amans: nec sine Se sit Amor.

AMOR OMNIA.

XXIX.

O Mea Mens, & Amor meus, o Deus Omnia solus;
Quæ sunt, quæ possunt, Omnia quæ bona sunt!
Intimus ardet Amor cunctis in rebus, Amore
Cuncta replente, Hominis pectus Amore caret?
Pectus ab igne calet, qui verum pellit Amorem:
Igne calet stygio, vel Paphos igne calet.
Non est ille calor, nec Amor, nec nomen Amoris:
Qui Deus est, calor est verus, & unus Amor.
Omnia & unus Amor Deus esto: tuo absque calore
Omnia mortua sunt: vel nihil Omnia sunt.
O mea Mens, & Amor meus, o Deus Omnia solus:
Omnia quæ bona sunt! O mea Mens, & Amor!

AMOR NICHIL.

XXX.

OMnia creduntur magna esse negotia rerum;
Proh dolor! unus Amor creditur esse nihil.

Magnus opum censetur Amor; Venerisque putatur
Magnus Amor; pariter magnus Honoris Amor.

Temnitur unus Amor: quis Amor? Rex unus Amorum
Maximus, unus Amor, quo sine nullus Amor.

Quin pudet usque loqui Divi cognomen Amoris:
Nec sine risu inter colloquia audit Amor.

Unde hæc humanæ tanta est perversio mentis?
Illa capit quanta est: non capit illa Deum.

AMOR CÆLUM.

XXXI.

AStrorum spectator Amor miratur; & inquit:
Dum Cœlum aspicio, quam mihi sordet Humus!

Ceu punctum vilescit Humus: vanescit ocellis
Ceu nihil; atque oculis vix lacrymanda venit;

O Cœlum, o Cœlum! Patria o certissima Amoris!
Exulis una Domus; sed nimis alta Domus.

Quamdiu abes spectanda procul; semperque videnda
Eminus, exterius? qua meliora latent.

Spes tandem cesset: teneat pes jura; patescant
Limina: Regna cupit; Non Amor Astra cupit.

AMOR ANGELI.

XXXII.

ANgeli ad hoc munus juſſi, funguntur Amoris
Munere: in hoc vivunt unice: ad hoc ſapiunt.

Angeli Amatores ſe ſe Mortalibus addunt;
Quos propius doceant unice Amoris opus.

Tale magiſterium Deitatis ab ore redundant;
Quale vident, afflant Numen; amando docent.

Deh Vos igniti Proceres, incendia viſu
Capta docete, pari concipienda Fide.

AMOR SOL.

XXXIII.

QUando oculos attollis Amor, Fontem aſpice lucis:
Expletumque in eo cogita Amoris opus.

Dicitur Ille Deus toto viſibilis Orbe,
Naturæ Genitor, Tutor, Amator, Amor;

Divini Specimen, Fulgor, Theſaurus Amoris:
Lucet, itemque calet, ditat, itemque ferit.

Quem non tantus Amor, tantuſque incenderit Ardor;
Aut Sole, aut oculis, aut quoque mente caret.

Sol Amor, illuſtres, ut amem Te, lumine Mentem:
Sol Amor, incendas cor magis igne; ut amem.

AMOR DIES.

XXXIV.

OH quando liceat quæſiti tandiu Amoris
Siſtere ad aſpectum ; cernere & ora prope!

Quando ſpes votis ceſſabit longa repletis!
Quando Te Amor clare, quando Te amabo prope?

Vera Dies natalis erit, meliuſque renaſci;
Quando erit ipſa Dies, Sol, Amor, ipſe Deus.

Vivere Sol erit ipſe: Dies erit ipſaque Amare:
Atque Amor Omnia erunt: Ipſe Amor omnis erit.

AMOR LUNA.

XXXV.

REgnat, & illuſtrat noctuque, diuque viciſſim
Nocturnus Luna, Sole diurnus Amor.

Sol amat objectam affuſo ſplendore Sororem;
Ac redamat Fratrem luce ſequace Soror.

Mutuus hinc enatus Amor fit ſplendidi Amoris
Grande Magiſterium, nobile Amoris opus.

Proh quantum inſinuant nocturna ſilentia Amorem!
Proh quam Luna monet Lucis amare Patrem!

AMOR NOX.

XXXVI.

LUx Amor & Noctem sentit, Vitæ hujus in umbra
Donec agit. Nox hæc Lumine abesse suo est.

Nox est ærumnis, animique affectibus angi:
Nox fit in obscura tandiu amare Fide.

Non semel ipse Deus propior se se abdit Amanti:
Ut magis inquirat: diligat atque magis.

Nox tamen ipsa micat: tenebræ tristesque facescunt:
Si proprius desit, si Deus adsit Amor.

AMOR SIDERA.

XXXVII.

SI quid Amoris habet specimen res clarius inter;
Astra id splendidius, luce, calore, ferunt.

Sunt ea Nutrices Terræ: sunt Ubera opumque:
Deliciæque Poli: divitiæque Soli.

Sunt ea Tela, Faces, Oculi, Spiramina Amoris;
Quem Superi in Terras undique ab Axe vibrant.

Jupiter aureus inde pluit: Deus ignifer inde
Se se fundit Amans: fundit Amoris opes.

Ecquid adhuc rigeant Homines? aut Sidera spectent;
Aut claudant oculos, ne videatur Amor.

AMOR ROS.

XXXVIII.

PRrimo mane vigil conſurge; atque aſpice circum
Prata ſerenati candida, Rore Poli.

Sidera, non Nubes, lactant hoc ubere Campos:
Non hic Nutricum eſt, ſed Genitricis Amor :

Teſtari haud poterant meliori viſcere Amorem;
Quo Terræ in gremium defluit ipſe Polus.

Argue, qualis Amor fuerit , Qui Patris ab ulnis,
Ceu Ros deſcendit Virginis in gremium.

AMOR NUBES.

XXXIX

QUidquid fecit Amor Cœlo, Terraque, Marique,
Jure ſuo Auctorem laudat, amatque ſuum.

Artificem commendat Opus, cum perficit ejus
Imperium, ac Finem; dumque ita laudat, amat.

Non ſine Amore Deo parent quoque Nubila, Cœlo
Orta, Marique ; ut Humum lactis ad inſtar alant.

Commendant, & amant ; guttis totidemque Tonantem
Laudibus innumeris Nos quoque amare monent.

AMOR TONITRU.

XXXX.

NUbila fracta tonant: Majeſtatemque Tonantis
Mugitu altiſono, flante fragore, monent.

Nubila amora ſonant veluti ſacra Æra: genuſque
Mortale ad Superum Vota, preceſque vocant.

Ecquid Amoris habent minitante Tonitrua Cœlo?
Nunquid conveniant inſimul Ira, & Amor?

Numen amant; cujus Regna alta potentia clamant:
Nos & amant; Numen cum meminiſſe jubent.

AMOR FULGUR.

XXXXI.

AXe tonante timet Tellus; oblitaque Amoris,
Non niſi eo celſas horret ab hoſte minas.

Fulgurat inde Polus: quis non ſibi fata paveſcat?
Undique fulmineas nube vibrante neces:

Qui tamen arcanos Cœli bene novit Amores,
Non timet iratum; ſed putat eſſe pium.

Fulgurat ante, tonatque Polus; ne fulmina vibret.
Fulminat, ut paveas; nec niſi Numen ames.

AMOR

AMOR GRANDO.

XXXXII.

HEu heu flammivomis pallefcit nubibus Æther!
Abruptoque minax Juppiter axe tonat.

Heu heu præcipiti Nimbo ruit arida Grando!
Tecta quatit: fegetes demetit: urit agros.

Proh furor, offenfi proh vindicis ira Tonantis!
Quæ pietas tantas temperet aufa minas?

Audeat unus Amor: veniam petat: oret, adoret:
Audiet altus Amor: protinus Iris erit.

AMOR PLUVIA.

XXXXIII.

NUnquam adeo Cœlum Telluri affundit Amorem;
Quam cum lato ejus perluit imbre finum.

Cœli verus Amor Pluvia eft: illumque recenfet
Altius erga Homines, quo pluit ipfe Deus.

Plura quidem pluit; almus Amor; quam depluat Æther;
Ac fuperant ftillas munera plura fuas.

Oh faltem æquarent guttas mea vota; & Amori
Innumeras grates, vel fine fine, darent!

AMOR IRIS.

XXXXIV

IRis Amor Cœli; noſtræ pax mutua Terræ!
Iris placati nuncia certa Poli.

Iris Amor Superum; quo ſpectant fronte ſerena
Terrigenas; ut ament, fauſtaque dona ferant;

Arcanæ Triadis tricolor depingit Amores:
Par micat Una Triplex, Trinus, & Unus Amor.

Ergo triumphalem ſtruat Arcus in Iride Amorem;
Quo rata ſit Superum Pax; ſocietur Amor;

AMOR NIX.

XXXXV.

IGne, geluque Nives una conflantur, & algent:
Arvaque operta Nives igne, geluque fovent.

Nunquid ineſt Nivibus quoque Amor? num Cœlicus ignis
Candori ſponſus candide amare docet?

Diſcite Mortales: albedine Numina gaudent:
Candoremque pluunt; quo foveatur Amor.

Sub Nive fervet Amor: Nix eſt ſcintillaque Amoris;
Candido itemque ſinu flagrat, ut albet Amor.

AMOR ELEMENTA.

XXXXVI.

AEris, Ignis, Aquæ, Terræque Elementa creavit
Omnipotens Verbum non ſine Amoris ope:

Prodijt ore Patris Verbum ; ſed Amoris ab imo
Corde flagravit idem FIAT Amoris opus.

Mox Amor ipſe Elementa ſuper ferri undique viſus;
Quæ Sacret auſpicio, perficiatque ſuo.

Ergo Elementa eadem cum nos miramur, Amemus:
Ac ſe noſter Amor ſupra Elementa ferat.

AMOR AER.

XXXXVII.

VItæ alimentum Aer; quo vivunt ilia cordis:
Quo Soboles cordis vivit, & halat Amor.

Aere vivit Amor; quem nos dum flamus, Amamus:
Quo ſine nulla Hominum pectora Numen amant:

Aeris Oh igitur reſpiria ſingula noſtri
Sint Amor! Eſto Aer totus, & unus Amor.

Hac minus Aura, & Amore magis ſuſpiria vivant:
Quin magis ipſa Auræ Vita ſit unus Amor.

AMOR

AMOR VENTUS.

XXXXVIII.

SPiritus audit Amor: ſpiratque ſimillimus Auſtro
Fervido; item Zephiro lenior afflat Amor.

Par idem ſpiratque Noto; par concitus Euro;
Aut calet; aut friget; temperat; urget; alit.

Spiritus intus alit: præcordia temperat: efflat
Spiramen Vitæ; Flamen id eſto Deus.

Cœlo efflatur Amor, Venti vehementis ad inſtar;
Cordibus in ſpecie Flaminis ipſe datur.

Ergo Flamen idem recolam, cum ſenſero Ventos:
Ergo dicam: in me Spiritus Alme Veni.

AMOR VER.

XXXXIX.

NOn ita feſtivi exhilarant viridaria Flores
Vere novo: Flores non ita Chloris amat:

Sicut Amor gaudet Florum vernante corona:
Purpureiſque novo Vere flagrare Roſis:

His linguis ſe dicit Amor: vibratque ſagittis:
His flammis Homines, conciliatque Deos.

Ergo ſunto mihi Flores, linguæ, arma, faceſque;
Queis loquar, & feriam, ſaucius ipſe Deo.

AMOR

AMOR ÆSTAS.

L.

SI quando pertæſa nimis tibi ferveat Æſtas,
  Dic: utinam parili me face adurat Amor!

Quot radios Pater æſtus è Syrio evibrat Axe,
  In mea corda faces tot jaculetur Amor.

Sit meus æſtus Amor: ſudet mea frons ab Amore:
  Cor liqueat, ſitiat lingua: ita poſco mori.

Hoc æſtu rogo poſſe mori: Deus eſto mihi æſtas:
  Perpetuo hac vivam; ſi ſemel hac moriar.

AMOR AUTUMNUS.

LI.

QUos Ver concepit Fructus, quos edidit Æſtas,
  Perficit Autumni non ſine Amore ſapor:

Tales condit Amor, tales Amor ipſe repoſcit:
  O utinam tales Tu quoque ferre velis.

Poma viden matura ſuis pendentia ramis?
  In totidem grates Te, mihi crede, vocant.

Invitantque pares fruges Te reddere Amori;
  Quas pariles fruges? quis dabit? Unus Amor.

AMOR HYEMS.

LII.

DEcertare videtur Hyems adverſus Amorem:
Quid ſibi conveniant? hic calet, illa riget.

At bene conveniunt in Amoris conſona laudes
Frigora, quas pariter cuncta Elementa ſonant.

Fervorem parit uſque gelu: vota excitat Ignis;
Utque caleſcat Amor, provocat ipſe rigor.

O Amor, ingeſtis ure ilia frigida flammis.
A Te ne ceſſet; ſed caleſiat Hyems.

AMOR IGNIS.

LIII.

TAndem Amor igneſcit: ſpiratque a pectore flammas,
Ulteriusque calens ipſe ſit Ignis Amor.

Ardet Amor, ſi verus Amor; neſcitque rigere,
Quem ſatis accendit Diva favilla Sinum.

Ignis Amor movet, urit, agit, ſolvitque, luitque;
Condit, alit, vivit; ſemper & Aſtra petit.

Aſtra petit ſi verus Amor: ſi tendat in imum,
Fax erit Eumenidum; non erit Ignis Amor.

AMOR LUX.

LIV.

LUx Amor eſt Cordis; qui Mentis Luce parente
Progenitus, Cordi lumen & ipſe parit.

Cuncta videt, cupit, audet Amor, duce lumine Amoris:
Cuncta gerenda videt; viſaque cuncta gerit.

A ſe doctus Amor ſtudiis non indiget ullis:
Sol, Oculus, Lumen, Scientia, Menſque ſibi eſt.

Ut ſit Amans; ut cuncta ſciat clariſſime, Amare
Diſcat: Amare ut item diſcere poſſit, Amet.

AMOR CALOR

LV.

LUcet, & ardet Amor: lux eſt fæcunda Caloris
Mater: & accepta luce caleſcit Amor.

O Utinam ſaperent, Fideique a lumine doctæ
Conciperent Mentes, quid ſit amare Deum!

Quidue ſit omne Bonum: quid ſint mortalia quæque;
Atque immortali quid ſit Amore frui.

Lumine concepto parili fervore calerent:
Claraque mox parerent Geſta Calore pari.

AMOR UMBRA.

LVI.

EXtuat, ardet Amor, nimio ceu Sole peruſtus:
Augetque ardores, quam trahit, Aura ſuos.

Ergo qua nimios Umbra ſibi temperet æſtus?
Quos niſi dilectæ protegat Umbra Crucis.

Scilicet hæc ramis refrigerat Umbra calores:
Fructibus hæc nimiam temperat Umbra ſitim.

Tantus ineſſe ſolet Divino fervor Amori;
Ni cruciaretur, mox moreretur Amor.

AMOR AQVA.

LVII.

ORbis prima Dies primordia ſenſit Amoris:
Cum ſuper offuſas Ille volaret Aquas.

Fons Pietatis Amor præludia contulit Undis;
Queis Orbem Sanctus redderet Ipſe pium.

Ecquid Amor ſe junxit Aquis, quid Fluctibus Ignis?
Ut luat; ut ſacret; ut congreget; ut Mare ſint.

Ut lacrymas generet, Virtutes influat altas:
Utque Deo jungat, Spiritus Ille Deus:

Hæc duo Te conſpectus Aquæ memorare docebit:
Cum velut Unda fluas, Te velut Unda luas.

AMOR

AMOR MARE.

LVIII.

IMmenſum res nulla refert, velut Æquor, Amorem;
Nec magis, ac melius quam Mare dictus Amor:

Fundit inexhauſtum Pelagus late undique fluctus;
Nec minuit fluctus: nec minus unda fluit.

Firmatur ſuper Æquor Humus: quin imbibit omnem
Arcane immiſſis fluctibus Æquor Humum.

Par ſine limitibus Mari Amor; quando aſpicis Æquor;
Dic: o grandis Amor! grandis ut ipſe Deus!

AMOR FONTES.

LIX.

FOns Amor eſt rerum: Fontes imitantur eumdem;
Terræ imoſque ſinus limpido Amore rigant:

Argento liquido ſimiles, blandoque ſuſurro
Munifici celebrant undique Amoris opes:

Ubere fæcundo Flores, virgultaque lactant:
Quo viret hortus; humus floret; abundat ager.

Quo ſitim inexpletam pellunt: memorantque in Amore
Non niſi divini Fontis obire ſitim.

AMOR FLUMINA

LX.

FLumina nata Mari, Patre immoriuntur eodem:
Cum prius Orbe amplo totum obiere Solum.

Cur obiere Solum? ut narrent Mare grande ſonoro
Ambitu: & Auctorem maximum ubique ſonent.

Cur repetunt Pelagum? Patri oblatura tributum:
Ut ſibi Principium ſit Mare, Finis item.

Proh quot Amor documenta infert; ut amans redametur!
Ut quoque noſter Amor refluat, unde fluit.

AMOR PISCES.

LXI.

HEus mutum Armentum, cur te Natura ſilere
Juſſit: Et ingratum laudibus ire Dei?

An ſine Amore datum eſt ſoli tibi vivere inerti?
Nonne mori melius, quam ſilviſſe foret?

Ora tenete: magiſque Deum celebrate ſilentes:
Sic Deus elingui dicitur ore magis.

Vos premat immani laudum vi pondus Amoris;
Plus ita fertur Amor: laus ita Cordis erit.

Eſt Mare Amor: ſolo vos vivitis Æquore Piſces:
Proh taciti Eloquii grande Magiſterium!

AMOR

AMOR TELLUS.

LXII.

TEllus ceu Mater, Cœlo Patre, ſemina rerum
Inſita Amoris vi concipit, atque parit.

Partaque Amore iterum conſpirant unice Amorem:
Quo grates Cœlo reddere Terra ſtudet.

O Amor! o rerum Genitor Tellure Magiſtra;
Cœleſtem, oro, doce me quoque amare Patrem.

Oh quoque pro linguis mihi ſint res quæque creatæ!
Auctorem ut laudem: cordaque ſint, ut amem.

AMOR LOCUS.

LXIII.

SCire Deum Natura docet: reperire ſtudetque:
Denique ut inveniat, quærit ubique Deum.

Indole doctus Amor volat huc, volat anxius illuc;
Se ratus in quovis vota tenere Loco.

Vota tenet: nactuſque Deum ſibi jungit ubique;
Dum tamen extra ſe quærit; oberrat adhuc.

Siſte Amor: ut ſiſtas, in te uno ſiſte: Deumque,
Crede mihi, propius nullibi adire potes.

AMOR PONDUS.

LXIV.

EST grave Pondus Amor: gravitat ſua cuique voluptas:
  Fertur in objectum ceu grave Pondus Amor.

Quo magis altus Amor, ſibi ponderat ille magiſque:
  Quo verus magis eſt, ponderat ille magis.

Verus, & Altus Amor non impetit ima deorſum:
  Urget in alta magis, quo magis ille gravat.

Diſce utriuſque ſuo a motu diſcrimen Amoris:
  Diſce id, quod gravius ponderat, eſſe Deum.

AMOR CENTRUM.

LXV.

STat Tellus; ſtat ei medium immutabile Centrum:
  Quo fertur, ſiſtit, totaque inhæret Humus.

Linea quæque uni ceu Centro tendit Amori:
  Inque Deum tendit, ſi bene ductus Amor.

Actio, quæ tali deflexerit irrita Puncto,
  Vel caret affectu; vel ratione caret.

Ergo ſi Puncto motus venit omnis ab uno,
  Ad Punctum redeat motus & omnis idem.

AMOR

AMOR MONTES.

LXVI.

ASpice ut excelſos, propiuſque ad Sidera Montes
Extulit immani mole Creator Amor.

Atque ibi opes, Gemmas, theſauros abdidit auri:
Atlantes Orbis, conſtituitque baſes.

Quid Montes niſi majeſtas, & pondus Amoris,
Regaleſque Throni, quid niſi Amoris opes?

Hac iter in Cœlum eſt: hac mens tollendaque ſurſum
Hac Deus; hac ſummus percipiendus Amor.

AMOR OLYMPUS.

LXVII.

FOnte perexcelſa nubes excedit Olympus:
Fronte ſerenata Sidera Sola videt.

Ecquis Olympus? Amor; quovis ceu turbine major
Perpetuo fruitur Sole ſerenus Amor.

Non illum contendit hyems; non impetit Eurus:
Non illum offuſis obruit Auſter aquis.

Æthere Major Amor: placidoque indemnis Olympo,
Non niſi ridet Amor: quis? niſi Summus Amor.

AMOR LAPIDES.

LXVIII.

CUm Lapides video, me me arbitror ipſe videre;
  Cum mihi par Lapidi cor quoque ineſſe ſciam.
Cum video Lapides ictos igneſcere ferro:
  Oh utinam, dico, cor mihi tale foret!
Mollior uſque ſilex alludere novit Amori:
  Durior hoc animus neſcit Amoris opus.
Ergo quid orandum remanet? vel marmora Cordi
  Impertire ignem: aut cordis ea eſſe loco.

AMOR GEMMÆ.

LXIX.

PLus Adamante micat: flagrat Carbunculo: Achate
  Flavet: Sapphiro pluſve ſerenat Amor.
Scilicet in Gemmis cunctis Amor emicat unus;
  Queis aut auſpicium, aut pignus Amoris ineſt.
Quis neget eſſe Illas noſtræ addita Sidera Terræ,
  Seu Specula, Æthereus queis videatur Amor?
Neſcio quid Sponſale nitent Deitate refuſa:
  Aſt Adamas majus præbet Amoris opus.

AMOR AURUM.

LXX.

REx Aurum præſtat reliquis fulgore metallis:
Affectus cunctos Rex quoque vincit Amor.

Res Aurum ditat cunctas: Auro omnia parent:
Cuncta ſibi ſubdit: Cunctaque ditat Amor:

Rebus amabilius cunctis Aurum unicè Amorem
Illicit, inducit, parturit, urget, alit.

Ergo Auro moveatur Amor; ſed non Amor Auri;
Aſt Opifex Auri quo redametur, Amor.

AMOR ARGENTUM.

LXXI.

PRænitet Argentum reliquis candore metallis:
Fertur Amoris item proprius ille Color.

Albeſcit ſincerus Amor: neque diligit ullus
Fortius, aut animo candidiore, Deo.

Ille amat æternus: bona certaque curat Amato:
Non eget Ille bonis: ditat & Ille magis.

Duritie Argentum, pretio, candore, probatur:
Videris hæc? dicas: quam pretioſus Amor.

AMOR RUS.

LXXII.

SEmper ubique Deum vel amas: vel amare moneris:
Rure tamen dulcis plus quid Amoris habes.

Rus habet illecebræ vim nescio quam quid amandi:
Id facit alta quies: id facit amplus ager:

Idque virens facies, Cœlumque id præstat apertum:
Hic specula, hic regio, hac extat Amoris iter:

Hac datur in Patriam circumundique mittere Amorem.
Hac & Amore frui liberiore datur.

Solus Amor solius amat commercia Amoris:
Haud Rus, sed Ruri plus amat, unde capit.

AMOR VIRIDITAS.

LXXIII.

EST Color in rebus facies prior, atque venustas
Symbola Amori, qua captus ocellus amat:

At Color Albus Aquæ, Viridis Telluris, & Ignis
Purpureus, Cœli Cæruleusque Color,

Plus & Amoris habent: Candorem, Spemque, Fidemque,
Pulchrius illiciunt: queis magis ardet Amor.

Nescio plus quid habet Viridis Telluris imago;
Qua sibi pingit Amor, Spesque, Fidesque Deum.

Quando virens arridet Ager, Spes læta virescit:
Surgit in Astra Fides; diligit omnis Amor.

AMOR

AMOR PRATUM.

LXXIV.

FLoret Amor ceu Pratum apricum: florė nec uno
 Ridet Amor: flores vix numeratque ſuos.

Albet, palleſcit, flavet, rubet, atque vireſcit,
 Omnicolor; ſed item concolor unus Amor.

Unus Amor centum pariter conſpirat odores:
 Cui quotuplex color eſt; ſic totuplex odor eſt:

Scilicet omnigenæ Virtutis odore, colore
 Multus, ſine uno ſit Deus unus Amor.

AMOR FLORES.

LXXV.

FLos, & Amor cenſetur idem: ſunt pignora Amoris
 Flores, ornatus, munera, ſerta, & opes.

His linguís loquitur Tellus: his prata loquuntur:
 Satricem his redamant culta Vireta Manum.

Ecquid odor, quid forma, color quid ſpirat? Amorem
 Spirat; & Auctorem ſuadet amare ſuum.

Pingitur hiſque Deus pulchra ſub imagine Amoris:
 Hiſque Dei ſpecies inſita clamat: Ama.

AMOR LILIA.

LXXVI.

LIlia casta serit primi Candoris Amator:
Irrigat, afflat, alit Lilia cultor Amor.

Qui colit, Ipse metit: cingit sibi serta Ligustris:
Nec nisi casta gerit Lilia fronte, manu.

Non nisi dilecti sua Lilia cogitat Horti:
Non nisi casta suo Lilia corde sapit.

Lilia nutrit Amor, QUI LILIA PASCITUR INTER.
Ecquid Lilia sunt? non nisi pastus Amor.

AMOR ROSÆ.

LXXVII.

SIdera Telluris dic esse Rosaria Chloris;
Illa Polo, hæc Terris, utraque Amoris opus.

Haud Paphos esse Rosas, casti dic pignus Amoris:
Dic: has fecit Amans, his ut ametur Amor.

Hisce coronantur desponsi Nuptiæ Amoris:
Divini amplexus spargitur hisce Thorus.

Lilia mixta Rosis, Violisque innata Mariæ,
Mundo Corde, humili corde te amare docent.

Cerne Rosas, Laterisque Dei perpende cruorem:
Primaque, dic, ab eo Vulnere nata Rosa est.

AMOR

AMOR DELICIÆ.

LXXVIII.

DElicias oſtendit humi; non tradit ibidem;
Ut Cœlo plures conferat, altus Amor.

Allicit in Terris, ut ametur, ad Aſtraque ducat:
Gaudia non negat hic; ſed meliora parat.

Plus amat Ille Hominum ſenſus, & vota repleri;
Quam ſibi Mortales vota replenda velint.

Nugas ergo negat, bona certa ſubinde daturus:
Sed quas Delicias? quas ſapit ipſe Deus.

AMOR SEGETES.

LXXIX.

NOn Ego vos Segetes ignorem: vos quoque Amori
Addictas duplici jure fuiſſe ſcio.

Flavet Amore Ceres; Amor aureus ardet ariſtis:
Ditior in meſſem fulget Amore Ceres.

Plenus abundat Ager, ſoli famulatus Amori;
Quo gemino Vitæ Pane paretur ali.

Corpus, itemque Animus Pane hoc veſcuntur eodem;
Fitque Animi Panis Numinis ipſa Caro.

Ergo Vita duplex; brevis hæc, æternaque Amori
Debeat; ut Qui bis vivere Pane dedit.

AMOR VITES.

LXXX.

O Vites Vitæ potus, nectarque perennis
Vitæ: si fiat Numinis ipse Cruor.

Vite hilarescit Amor, sacro lætusque Lyæo
Delicias inter fervet, eposque canit.

Carmen Amoris agit: gratesque rependit Amori:
Ebrius Ille magis, fit sapiensque magis.

Vino vivit Amor, gaudet, valet, atque calescit.
O Vites, Vitæ robur, Amoris opus!

AMOR PLANTÆ.

LXXXI.

TErrigenas qui fecit Amor, nutrire paravit
Frugibus, ipsa Hominum Matre fovente, satis.

Arboribus replevit agros; Arbustaque pomis;
Atque sapore omni Poma replevit Amor.

Jamque vides quot ubique altæ, quot ubique refertæ
Curvescant frondes fructibus omnigenis.

Hæc vide: at intuitu pariter Cœlum aspice eodem;
Unde tibi hæc mittit dona, ut ametur, Amor.

AMOR

AMOR FRUCTUS.

LXXXII.

QUam ſit dulcis Amor Cæleſtis, conjice ab illo
Dulcore, in Terris quem quoque ſpargit Amor.

Dulcat Apes, dulcatque thymos, lac, poma, lyæum
Dulcat, & ambroſiam, ſacchara dulcat Amor.

Dulce nihil ſine Amore ſapit; præſtantque Sapore
Omnigeno Fructus, queis Amor omnis ineſt.

His viſus, guſtuſque genus teſtantur Amoris:
Dulcet in his Opifex: hoſque ſaporat Amor.

AMOR LAURUS.

LXXXIII.

REgales animos, regalia geſta, triumphos
Regales, Laurus regia ferre ſolet.

Ergo Regali ſacra eſto Laurus Amori:
Rex Amor eſt: ergo Laurea ſerta gerat.

Rex Amor eſt Regum, mortalia Regnaque vincit
Rex Major: Superis congrua Regna petit.

Rex Amor eſt Superum; Deus eſt Amor ipſe ſupremus;
Dedignatur Amor Serta minora Deo.

AMOR AVES.

LXXXIV.

CUr modulantur Aves? ut laudent carmine Amorem;
Nempe ſuum eſt Cantus dulcis Amoris opus.

Cur modulantur Aves? ut Amoris geſta celebrent:
Cur celebrant? ea ne nos tacuiſſe ſinant.

Proh pudor! humanum ore alieno munus obitur;
Quæve minus debent, plus modulantur, Aves.

Proh dolor! innato replent Illæ aera metro:
Quod vix multa Homines diſcere ab arte valent.

Ergo agite, o Volucres, milleno carmine grates,
Quas Homo vel negat, aut neſcit; obite vices.

AMOR APES.

LXXXV.

O Amor, inſtar Apum; quæ ſucco è floribus hauſto,
Vere novo, alveolis mellificare ſtudent!

O Amor, inſtar Apum; quæ candida munera ceræ,
Incenduntque Aris viſcera paſta piis!

O Amor, inſtar Apum; quæ ductæ Rege ſub uno,
Regem, cui parent, aſſeclæ Amoris amant!

O Amor, e cunctis confecte roſiſque, liguſtris,
Dux Amor unà uni ſacrificande Deo.

AMOR BRUTA.

LXXXVI.

BRuta quidem ratione carent; ſed Amore fruuntur:
Ignorant, ſed amant: ſenſaque legis amant.

Indolis inſtinctu naturæ jura ſequuntur:
Illius Auctorem, dumque ſequuntur, amant:

Numinis imperiis parent, mala cuncta cavendo:
Seu bona ſectando, non niſi Numen amant.

O utinam quoque Mortales ita Numen amarent!
Nempe forent ſaltem Bruta, Homineſque pares.

AMOR CREATOR HOMINIS.

LXXXVII.

ESt Opus, eſt Opifex, Amor eſt Hominiſque Creator:
Ergo ſuum eſt Hominis vivere Amoris opus.

Eſt Homo Imago Dei: Deus eſt Amor; ergo & Amoris
Eſt Homo Imago; ergo eſt ipſe, vel alter Amor.

Vivit Homo, ſi vivat Amor; ſine Amore peritque:
Ergo vivat Amor; ne moriatur Homo.

Ergo Creatori vivens Homo vivat Amori:
Utque Homo vivat amans, eſto Homo amando Deus.

AMOR

AMOR TRIAS IN HOMINE.

LXXXVIII.

TOta Hominem fabricata Trias, ſignavit in illo
Se ſe Tota Trias; ceu foret ille Trias.

Mens Pater & Mentem affulſit; Verbumque refulſit:
Quo ſe, quo ſecum cœtera noſset Homo.

Spiritus almus Amor ſe cordi afflavit Amorem:
Quo ſe, quo Triadem Mens, Cor, amaret Homo.

Cum Triadis referat ſpecimen, quo noſcat, ametque:
Quid niſi Forma Typum noſcat, ametque ſuum?

AMOR HOMO.

LXXXIX.

TOtus Homo ſit Amor: totus conſpiret Amorem:
Totus ad hoc, ut amet factus, Homo ſit Amor.

Quidquid agit, loquitur, ſtudet, uni tendat Amori:
Sit cibus, & potus, ſit quoque ſomnus Amor.

Mens, Cor, & arbitrium, ingenium, geniuſque, voluptas,
Sunto, Aures, Oculi, Senſus & omnis, Amor.

Eſt Homo totus Amor, cum ſe totum ipſe recuſat;
Ut ſit Amor; ſibi cum totus Amor Deus eſt.

AMOR VIX HOMO.

LXXXX.

SOlus Homo, conflatus Homo ſpiramine Amoris,
Solus Homo Trini factus Imago Dei:

Solus Homo, Ratio, Mens, Spiritus, atque Voluntas,
Immortale Genus, Filius uſque Dei:

Solus Homo Terræ Dominus, Cœlique perennis
Incola, & æterno dignus Amore Dei:

Sangüine ſolus Homo, extincti reparatus Amoris;
Neſcit Amorem, audet crimina, ſolus Homo.

AMOR NON HOMO.

LXXXX.

SCire, timere, & amare Deum, Sapientia ſumma eſt:
Hæc tria qui neſcit, ſcit nihil: at nec Homo eſt.

Scire negat ſe ſe, cui mens ſua prima negatur:
Ignorat ſe ſe, qui negat eſſe ſuum.

Neſcius ille ſui, quoque neſcius ille Deique;
Ille unus tantum non timet ille Deum.

Neſcius ille ſui, quoque neſcius ille Deique;
Ille unus tantum non amat ille Deum.

Neſcius ille ſui, quoque neſcius ille Deique,
Abſque Deo, ac ſine ſe, jam nec Amor, nec Homo eſt.

AMOR

AMOR CAPUT.

LXXXI.

COr ſuper, ac reliquos Opifex Caput extulit artus:
Corporis & Regem, conſtituitque Ducem.

Rex Caput eſt animi, dux cordis, Amoris origo:
Ejus ab imperio ſurgit, & ardet Amor;

Inde ſapit, capit inde ſui diſcrimen Amoris:
Quæve cavenda videt: quæve ſequenda videt.

Deh Caput alta ſuo Sapientia ſubdat Amori:
Qua Caput & Cordi mandet Amoris opus.

AMOR CORONA.

LXXXXII.

ESt Capitis Diadema decus, laus, gloria, regnum:
Quam Caput auguſtum nil magis optat Amor.

Namque Amor eſt Diadema ſibi; Caput ipſe coronat:
Cunctaque in illo uno menbra coronat Amor.

Reſque ſuper cunctas regnant; Sapientia, Virtus:
Si quoque ſolus Amor cingat utriſque Caput.

Ergo ſolus Amor Rerum, Charitumque Corona eſt:
Solus Amor, cui ſit ſola Corona Deus.

AMOR MENS.

LXXXIII.

DA precor id ſaltem firma Te noſcere mente
 In finem; ac vivo corde Te amare Deum.

Haud peto vel laudes, vel opes, vel gaudia vitæ:
 Hæc aliis opto: quin mihi poſco pati.

Da rogo plura pati; ſed me da noſcere pœnas:
 Da mihi ſcire pati, velle, & amare pati.

Ut patiar, placeamque ſimul, da propter Amorem
 Cuncta pati: ſolo cuncta ab Amore pati.

AMOR MEMORIA.

LXXXIV.

TEmpora Mens recolens exacta, Memoria dicta eſt:
 Captaque Mens recolens munera, dicta Amor eſt.

Quin Amor eſt melior quacumque Memoria; ut ille
 Qui nedum meminit; ſed quoque gratus Amat.

Munera gratus amat, non quæ ſibi Munera; ſed quæ
 Sunt Sibi dantis Amor; quem magis ille facit.

Eja Amor eſto memor, quin eſto Memoria jugis;
 Quæ tibi fecit Amor; quis tibi amandus Amor.

AMOR OBLIVIO.

LXXXXV.

NUlli injurus Amor, ſibi probra illataque neſcit:
Vix memor, ut primum probra remittat Amor.

Oblituſque mali exequitur bis munus Amoris:
Inque Deum, inque Homines, propter utrumque pius.

Donat probra Patri: condonat probraque Fratri;
Mente ſuaque mali nil remanere ſinit.

O Amor altus Amor! fœlix Oblivio! nulla eſt
Crimina parcentis major imago Dei.

AMOR ARBITRIUM.

LXXXXVI.

DIc mihi, perpetuo Vivi quid agemus in ævo?
Quale animum, ac mentem juge tenebit opus?

Nos Amor, aut Odium manet æternum: optio ad utrum
Nunc datur: ad medium non datur actus opus.

Heu mala ſors odiſſe Deum livore perenni!
O bona ſors lætè ſemper amare Deum!

Ergo quid eligimus? quidquid modo amamus, agemus;
Eligimuſque Deum, ſi modo diligimus.

AMOR LIBERTAS.

LXXXXVII.

VErus Amor veræ eſt quoque Libertatis Amator;
Non captivandus vincula frangit Amor.

Liber ab affectu rerum, ac toto Orbe ſolutus,
Liber amat Cœlo liberiore frui.

Libertas, & Amor Deus eſt: vis liber amare?
Nil capias: uno ſed capiare Deo.

Ne capias mala: ne capias bona vincta maliſque:
Ne capiare malis: ne capiare bonis.

Nil capias; cupiaſve nihil captabile ſenſu.
Ne capiare; uno Tu capiare Deo.

AMOR JUDICIUM.

LXXXXVIII.

DElicias cupit omnis Amor non impari Amore;
Sorte ſed imparili vix habet unus Amor.

Sæpe voluptatis genium optio fallit inanis:
Sæpe Amor in mediis errat, & hæret iners.

Delicias alias oculus ſibi credulus ornat:
Delicias curat mens aliaſque ſibi.

Quas oculus reputat, melior mens Arbitra temnit.
Crede mihi, has temnit; nam meliora videt.

AMOR

AMOR DUBIETAS.

LXXXXIX.

SÆpe, an ames, dubitas: immo dubitas, an ameris.
Hæc tria disce, quibus certus habetur Amor.

Oderis omne nefas: tibi probra illata remittas:
Læto animo ærumnas sustine; & ecce tu amas.

Est primum Virtutis Amor: Fratrisque secundum;
Postremum est plenus Patris amantis Amor.

Hæc tria si teneas; non de tuo amore timendum est.
Sed tantum timeas, hæc tria num teneas.

AMOR NOSTER.

C.

NEmo ab Amore excuset se se: nemo recuset
Hoc opus: hoc nihil est plus sibi cuique suum.

Addictum manibus graciles aliquando nequimus
Omne opus: at nostro in corde stat omnis Amor.

Est Amor arbitrium: stat amandi cuique potestas;
Jejunare nequis semper; amare potes.

Nunc nunc Ipse proba: tibi obex nullum est: quid amare
Impedit? ergo modo plura nequis? modo ama.

Plura nequis, sed amas: mihi crede, agis omnia lucro
Utiliore; neque hoc tu meliora potes.

AMOR

AMOR CERTAMEN.

CI.

GRandis Amor quoque grande gerit Certamen Amoris.
In ſe ſe aſſiduus dimicat hoſtis Amor.

In ſua civili converſus viſcera ferro,
Odit Amor ſe ſe: ut ſit ſuus alter Amor.

Alter Amor, ſed ſolus Amor, Qui dignus ametur;
Qui ſolus Deus eſt, verus, & unus Amor.

Ergo pugnet Amor, vincatque adverſus Amorem;
Atque meus pereat; vivat ut unus Amor.

AMOR ODIUM

CII.

O Amor, in ſignum quod amas me, da mihi quæſo
Velle odiſſe malum: poſſe cavere malum.

O Amor, hoc odium mihi da, ſuper omnia poſco;
Quo ſuper omnia Te ſolum adamare queam.

Ne quando Tibi diſpliceam, tua juſſaque lædam;
Jugiter in me odium da mihi tale precor.

Nam mihi quo fuero exoſus, magis inde Te amabo:
Ut magis ergo Te amem, da mihi tale odium.

AMOR NON ODIUM.

CIII.

IPse Amor eſt Odium; pariter qui diligit, odit:
Non amat ille magis, nec minus odit Amans.

Qui bona cuncta ſuo curat, facit, optat Amori:
Et mala cuncta odit; queis violetur Amor.

Oderunt peccare Boni Virtutis Amore;
Amplius & vitium Sanctior odit Amor:

Quantus amatque Deum, tantus ſcelus omne perhorret.
Æque amat hoc Odio, quam vel Amore Mori.

AMOR TIMOR.

CIV.

IPſe paveſcit Amor, ne vel ſibi perdat Amantem:
Ne vel Amatorem ceſſet amare ſuum.

Deſeri Amor nequit ipſe prius, niſi deſerat ipſe:
Cum niſi dimiſſus deſerat altus Amor.

Fidit Amor, diffidit Amor: ſe fidit Amanti;
Se ſibi non fidit: ſeque deeſſe timet.

Ergo ita de ſe diffidat: fidatque de Amato:
Quo ſemper timeat, ſemper Amator erit.

Me mihi ne fidas, Amor obſecro: me Tibi fidas:
Me prius Ipſe, a me ne feriare, feri.

AMOR AUDACIA.

C V.

GRandis Amor Deus eſt, Grandes vult Grandis Amores:
Factaque Grandi animo Grandia Grandis Amat.

Grandis amat Grandes auſus; animoſque amat altos
Altus Amor; quare? Grandis Amor Deus eſt.

Ergo meum Nihil aude; & grandes exere vires:
Dilige Grandi Animo: Grandia Grande gere.

Ecquid agas niſi Grande nihil? ſed creſcere fas eſt:
Grandia ut in minimis cuncta opereris, Ama.

AMOR IRA.

CVI.

IRa data eſt Animo, velut Enſis, in omne acuenda
Turpe malum: atque boni qua tueatur Amor.

Ira bona eſt, Virtutis quæ deſervit Amori:
Non qua cæca ruit raptus in arma furor:

Quave minatur Amor divo zelatus Honore:
Qua reparat cultum, ſanctaque jura Deo.

Scilicet Ira, & Amor, pia ſunt moderata viciſſim:
Tali utinam iraſcar, qua magis ardet Amor.

AMOR TRISTITIA.

CVII.

SÆpe etiam triſtatur Amor; premiturque dolore:
Vix tamen ærumnis condolet ille ſuis.

Quin illata Deo cenſet ſua probra; ſuique
Mæroris cauſa eſt unica, læſus Amor.

Malit & eſſe ſuum divi diſcrimen Honoris:
Quas ſibi ferre vices, gloria magna foret.

Uſque adeo mæret: nimio moriturque dolore:
Novit, quid ſit Amor; novit Amore mori.

AMOR DESIDERIUM.

CVIII.

CUr Unum minime cupimus? quia plurima amamus;
Quæ non ſunt Unum; nos ab Eoque trahunt.

Pluraque nos in plura vocant; diviſaque ab Uno
Haud unire Uni diſſita vota valent.

Artem diſce tamen reditus per plurima ad Unum:
Votum unum in cunctis unus Amator habe.

In cunctis Unum cupias: cui cuncta reducas:
Cui quoque te reducem poſt tua vota trahas.

AMOR

AMOR GAUDIUM.

C I X.

ESſe hilares cupimus: contendimus inter utramque
Lætitiam: qua mens, quave beetur Amor.

Læti aliquando ſumus, triſtes aliquando viciſſim;
Ac per iter duplex æmulus hæret Amor.

Triſtitiam fugimus; ſed eo diſcrimen inimus;
Quo nocuam, innocuam triſtitiam fugimus:

Flere opus eſt gemitus in valle; reiſque dolendum eſt;
Flendaque culpa magis: flendaque pœna minus.

Lætitia eſt, ſi ploret Amor: plorante dolore
Triſtitia eſt: ut Amor gaudeat, ergo fleat.

AMOR OCULI.

C X.

ILle Amor eſt Oculus: qui ſoli lucet Amato:
Quem videt unum: unus cernit: ut unus amet.

Lux Amor eſt Oculi ſedes veriſſima Amoris;
Unde in Amatores blandior exit Amor.

Lux Oculi Sol eſt: Deus eſt Lux unica Amoris:
Quo ſine noctivagus, cæcus oberrat Amor.

Cor itidem videt: eſt oculus mens lucida Cordis;
Unaque lux menti eſt Sol, Deus; unus Amor.

Ergo Amor, ut videas, & ames, unum aſpice Solem:
Luxque Oculi ſit Amor: ſitque Pupilla Deus.

AMOR

AMOR CÆCITAS.

CXI.

CUr Homines frigent cincti undique Amoris ab igne?
Cur vel saxea, vel ferrea corda gerunt?

Cur Homines quocumque alio rapiuntur amore?
Cur Cœlesti Homines solo ab Amore cadunt?

Vilia cur sapiunt Homines? cur ima sequuntur?
Altaque despiciunt, dissipiuntque Deum?

Quæ cernunt oculis adamant æqualia brutis.
Diligere ignorant, quæ quoque mente vident.

AMOR INSPECTOR.

CXII.

VElatis mentitus Amor cæcutit ocellis:
Immo utroque caret lumine adulter Amor.

Non ita verus Amor; qui luce serenus utraque,
Omnia clara videt: cunctaque vera videt.

Primo oculo videt ima, alio videt alta; putatque
Qualia sunt: magna hæc judicat, illa nihil.

Despicit ergo animo ingenti mortalia quæque:
Altaque duntaxat diligit altus Amor.

AMOR

AMOR AURES.

CXIII.

AUdit Amor; ſemperque putat ſe audire Loquentem;
Quem qui ſemper amat, ſemper & audit Amans.

Audit Amor, qui juſſa lubens amat exequi Amoris;
Audit, obedit, adit; totus & Auris amat.

O mea Vox, Verbumque meum, quæcumque loquaris,
Fac ut ab aure fluant cordis in ima mei.

Sic audire precor modo eo, quo dicis Amorem:
Dic: Amo: & auditum cor quoque dicat, Amo.

AMOR LINGUA.

CXIV.

LIngua index mentis, parit id, quod concipit illa;
Lingua a Secretis Cordis, id ore refert.

Munus Linguæ Amor eſt, impos arcana ſilere,
Dilectumque impos claudere corde Deum:

Quidquid amat loquitur; ſe ſe proditque loquendo:
Sed quid Amor dicit? non niſi dicit: AMO.

Dicit: AMO, ſermone minus, fervore magiſque,
Toto habitu, toto more profatur: AMO.

AMOR

AMOR COR.

CXV.

A Deo Amor natus noſtros deſcendit in artus:
Cordaque ut incendat, ſpargit ubique faces.

Cor dedit: atque alti ſedem Cor fecit Amoris:
Cor dedit, ut repetat Corde ab amante Suum.

Humanos vocat ad Fontem primi Ignis Amores:
Atque redire ſtudet, primitus unde venit.

Nemo non ſentit profuſæ incendia flammæ:
Propulſare poteſt, diſſimulare nequit.

Ergo Cor eſſe nequit, cui non ſit Amoris origo:
Aut Amor is non eſt, qui ſine fine perit.

AMOR MANUS.

CXVI.

NOn eſt deſidioſus Amor; ſed in omnia pronus:
Ocia nulla fovet: tota ſit ipſe Manus.

Eſt operoſus Amor; ſed quo citus impetu? Amoris:
Sat valet illa Manus, cui calet altus Amor.

Magna audet, fortique agitat molimina nixu:
Quid niſi quo fervet, ſedulus Ignis agat?

Multa gerit, ſed cuncta ſui ſenſu unico Amoris:
Eſt Amor iſta Manus, quo Manus iſta Dei eſt.

Ecquid agit Manus hæc operatrix? implet Amoris
Jus duplex: quid enim ſanctius illa queat?

AMOR

AMOR OPUS.

CXVII.

VEro amat affectu, qui consonat ori, & Amori;
Qui probat obsequio, vere amat ille magis.

Acta magis, promissa minus Deus audit Amatus;
Vere amat ille Deum, qui sua jussa facit.

Jussa facit, qui totus amat: neque lædit in ullo
Crimine: qui Fratres in Patre totus amat.

Disce ab amante Deo: dum diligit, efficit Ille:
Tu quoque ama, ut facias: tu quoque fac, ut ames.

AMOR PEDES.

CXVIII.

NUsquam sistit Amor: cui nunquam flamma quiescit:
Nunc petit alta Poli: nunc petit ima Soli.

Altus item descendit Amor: seque aptat Amato,
Ut juvet; ut propius donet Amoris opes.

Quò descendit Amor, resilit sublimiùs: altos
Moliturque gradus: altius unde venit.

Dat Gressus Virtus semper se major: adusque
Maxima in immoto sistat Amore gradum.

AMOR GRESSUS.

CXIX.

ECquid humi male repis Amor? conſcende gradatim;
Quo ſuper omne genus te manet alta quies.

Ito Elementa ſuper; Virgultaque, Bruta, Hominesque,
Nubila ſcande ſuper; Sidera ſcande ſuper.

Scande ſubinde novem Cœlos, ſcamna altaque Divum,
Aligerumque novem ſcande ſubinde Choros.

Progredere ulterius ſemper: ne ſiſte volatum;
Te donec, ſe uno limite, ſiſtat Amor.

AMOR INFANTIA.

CXX.

QUando ſuum occurrit Menti ſibi fingere Amorem:
Illa ſibi Infantem pingere ſueta fuit.

Scilicet illa Ætas magis apta, & ſymbola Amori,
Partaque Amore magis, plus & amanda venit.

Ille Amor elinguis facundiùs orat Amorem;
Quem prior innocuò more, & amore docet.

Oh talis duraret Amor! quam maximo Amori,
Infantique Deò ſymbolus ille foret!

AMOR

AMOR JUVENTUS.

CXXI.

FLoret Amor: Floret Ratio; Floretque Juventus:
 Floret item Virtus; ni vitietur Amor.

Aſt heu! vix rationis init cum limine lumen
 Alter Amor, juvenis ſit quoque cæcus Amor.

Cui Ratio dictat primi ductum inſequi Amoris;
 Poſt alium præceps nomen inane ruit.

Deh Amor, ut verè Juvenilis floreat Ætas:
 Flore tuo vegetet, lumine ducta tuo.

AMOR VIRILITAS.

CXXII.

NUlla magis Pugili generoſo congruit Ætas:
 Quam quæ robuſtum perficit eſſe Virum.

Fortis Amor vegetat vires, animoſque viriles:
 Namque agere, atque pati fortia ſuevit Amor.

Quorſum alacres animos impendimus? anne furori?
 Heu miſeri! nos nos fecimus eſſe feras.

Quorſum agimus vires? an pro certamine Amoris?
 Si verus ſit Amor, nos erimuſque Viri.

Ergo Viros nos eſſe decet, quæcumque ſit Ætas;
 Id ſumus invicti, quique id amando ſumus.

AMOR SENECTUS.

CXXIII.

TEmpore perficitur, vel Amore, annoſa Senectus:
Tempore Vita valet: Vitaque Amore calet.

O Amor ecquando cæpiſſe Te Amare licebit,
Si Tibi diſtulerit ſumma Senecta moras?

Ah pietas! es Amor; ne dedignere ſupremos
Uſque annos; ſummus ſi pius annus eat:

Sitque moroſa Ætas, ſed amora, & juſta Senectus:
Donec ſumma hora perficiatur Amor.

AMOR TEMPUS.

CXXIV.

QUid facimus ſine Amore? volat breve Tempus aman-(di:
Si non diligimus, vivimus ecce minus.

Ni modo diligimus, toto nec amabimus ævo:
Heu morimur ſemper, ni modo diligimus!

Heu Mors dura nimis nece duratura perenni!
Dum vivet, noſtro ſed ſine amore, Deus.

Ergo Mortales nunc nunc vivamus Amori:
Ut quo nunc vivat, ſit quoque ſemper Amor.

AMOR VITA.

CXXV.

Vivit Amor; vivitque diu; qui sæculo in omni
Vixit; & æterno tempore vivet adhuc.

Vivit Amor si vivus amat: sua Vitaque Amoris
Est Amor: ac Amor est, cui sua Vita Deus:

Quam facit ipse Deus, sua Vita est unica Amoris:
Qua sine cessat Amor: qua sine Vita mori est.

Ergo ideo Vitam Mortalibus esse perennem
Fecit Amor: nempe ut non nisi semper ament.

AMOR ÆGRITUDO.

CXXVI.

Si bene amas, male ne doleas de ullo malo: Amoris
Merces pœna sua est: deliciumque suum.

Utilius nihil esse potest: nihil urget Amantem
Altius: hac melius nil ratione probat.

Nil majus quam posse pati: quam posse dolores
Ferre, offerre Deo, verus Amator habet.

Omnia si faciat, cedunt ea commodo Amantis:
Si pœnam tulerit, tota stat illa Deo.

Cuncta placent, quæ corde pio donantur Amori:
At quæ passus Amor, plus amat Ille dari.

Nil melius, quam posse mori nece amabili Amoris:
Nam fuit Ipse pari Morte peremptus Amor.

AMOR SALUS.

CXXVII.

ANgitur æternæ dubius ſibi quiſque Salutis,
  Neſcius inſtituat quo moriturus iter.

Signaque ſcrutatur ſpem ſolaturus acerbam:
  Rem tamen ancipitem ſigna vel ipſa monent.

Proh ſtudium infœlix nulla ratione ſciendum!
  Pluſque ignorandum, ni ſtudeatur Amor.

Crede mihi Signum non eſt hoc certius ullum:
  Eſt Amor ipſa Salus: dilige, Salvus eris.

AMOR CRASTINUS.

CXXVIII.

CUr Amor in noſtros raro, ac ſero influit artus?
  Cur citius noſtro corde recedit Amor?

Illius adventum petimus; pariterque timemus;
  Ne citius veniat; moxque venire velit;

Non modo amare placet: ſed cras vellemus amare:
  Sic volumus nunquam, dum modo cras volumus.

Cras petimus, ſed cras veniente; iterum petimus cras:
  Tranſit amare modo; cras nec amare venit.

Deh rogo,rumpe moras, Amor, hic nunc ingere Amorem.
  Non cras, aut nunquam: nunc peto amare modo.

AMOR

AMOR PRÆVENTUS.

CXXIX.

CUr, Amor, usque adeo a Te incensi ardere moramur?
An dubium est, digne quis sit amandus Amor?

Non ita Se Cœlestis Amor, sua donaque differt:
Nec dubitat, sero quem redamandus amet.

Nos amat Ille prior; vix natos diligit ultro:
Immo vel æternos diligit ante dies.

Assiduis nunc usque reos nos diligit horis.
Diligit, a nobis non redamandus Amans.

AMOR SALVATOR.

CXXX.

SAlvat Amor datus Ipse Salus mortalibus ægris:
Impenso Ipse suo Sanguine salvat Amor.

Tanto nulla Salus unquam dispendio amata est.
Tam valet ista Salus, quam valet ipse Deus.

Jure pari nomen sibi Salvatoris adeptus
Nemo: pari titulo non fuit empta Salus.

Ergo Salutifero quid Amor salvatus Amori
Debeat? ut redamans jura Salutis emat.

AMOR JESUS CONCEPTUS.

CXXXI.

E Cœlo deſcendit Amor; Gremiumque pudicum
Flante, & agente ipſo Spiritu Amoris, init.

Spiritu Amoris, Opus Verbi patratur Amantis:
Efficitur Mater Virgo: Deus fit Homo.

Patris Amor mittit: Natus venit actus Amore:
Atque Amor utrius Spiritus implet Opus.

O Amor! ecquis Homo vivat ſine Amoris Amore?
Quando Amor, ipſe Homo fit? quando Deus fit Homo?

AMOR JESUS IN UTERO.

CXXXII.

SPonſus Amor thalamum tandem ſibi nactus in aluo
Virginis, invenit deliciumque ſuum.

Sponſus Amor Sponſæ Matris qui paſcitur inter
Lilia: Matris item Lilia paſcit Amor.

Mutua quis referat Fœtus, gravidæque Parentis
Colloquia, amplexus, mutui Amoris opes?

Ditat Amor Matrem: dotat Sponſamque ſupernis
Theſauris; at eam ditat Amore magis.

Sanguine Virgineo ditat quoque Mater Amorem
Conceptum: membris ditat; Amore magis.

Oh ſi Pignus idem mecum foviſſe liceret!
Quid prohibet? nunc nunc Corde fovere licet.

AMOR

AMOR JESUS NATUS.

CXXXIII.

VIrgine conceptus gremio jam naſcitur Infans
Blandus, amorus, uti creditur ortus Amor.

Natus Amor Deus eſt, ſed Homo ſimul, immo Puellus
Exceptus paleis, frigore, nocte, ſpecu.

Eſt Amor iſte Puer; ſed eo quis duxit Amorem;
Ut lateat Deitas, vix videatur Homo?

Vix Puer apparet, jota vix grandior uno:
At Verbum eſt: quid ait? conſpice, Quantus Amo.

AMOR FILIUS VIRGINIS.

CXXXIV.

VIrginitatis Amor, primique Pudoris Origo,
Virgo Parente ſatus Virgine, prodit Amor.

Ipſe Polo ſine Matre ſatus, ſine Patre Soloque;
Virgine Patre ſatus, Virgine Matre ſatus.

Quam bene Virginitas, & Amor ſibi Pignore in uno
Conveniunt: Eadem parturit, Alter alit.

Alba placent Superis, ſincero puraque Amori:
Sic voluit naſci candido utrinque Sinu.

AMOR IN DIVERSORIO.

CXXXV.

EXulat è Cœlo: in Terris Amor hoſpes oberrat:
Urbanæque Domus indigus antra ſubit.

Naſcitur hoſpes humi, peregrinus, & exul ab omni
Pectore ; ab humano prorſus amore vagus.

Heu heu Mortales pietas ubi ? ſiccine in antrum
Hic Deus, atria dum vos habitatis, eat?

Non petit Ille aulas, non alta palatia Regum:
Vos petit hoſpitium, Cor petit Ille ſuum.

AMOR IN PALEIS.

CXXXVI.

IN paleis jacet, alget Amor, qui venit ab Aſtris
In Terras Ignem mittere; friget humi:

Alget, & ardet item: paleiſque accendit Amorem;
Quo tradit volito membra tenella gelu:

Hac eſca velit auctus Amor quoque noſtra fovere
Pectora: quis paleas frigeat ante ſuas?

Accubat hoc thalamo Sponſus, meliore negato.
Frigida quis mutet ſtramina ? Noſter Amor.

AMOR

AMOR INTER BRUTA.

CXXXVII.

QUis caleat, si friget Amor? quid Bos, & Asellus
Ad Puerum? an foveant frigida Bruta Deum?

Friget Amor, quem Bruta fovent blandi halitu Amoris:
Hoc Homines inter flamine Natus eget.

Heu satis instruimur pecudum feritate magistra:
Quæ sint Bruta magis, cordane nostra minus?

Proh pudor ire pares Hominum, moresque Ferarum!
Quis pudor ignaris vinci Hominesque Feris?

AMOR LACTENS.

CXXXVIII.

POrtentum mirare triplex: Deus ubera sugit:
Est Virgo nutrix: Ubera supplet Amor.

Quid mirere prius? ter prodigio obstupe in uno:
Ipse Amor affundens ubera, lactis eget.

Lac esurit, quod vena est cordis, & humor Amoris,
Sanguis amabilior, quo vegetatur Amor.

Sanguine lactis ali petit Ille, ac Virgine vena:
Non alio vivit nectare Diuus Amor.

Oh si lacte pari collacteus ubere Amoris
Par ego convivam, Vita ut Amoris alar!

AMOR ENUNTIATUS.

CXXXIX.

IN Terras descendit Amor: Cœloque relicto
Bethlemico nasci maluit in stabulo.

Amisso Rege Aligeri lætantur in ipsa
Jactura, ut Puero nænia amora canant.

Gloria in Excelsis, & Humi Pax facta monetur;
Adventusque Bonis Ipse docetur Amor.

Pastores moniti primum dignantur Amoris
Luce frui; & primæ nuncia Pacis habent.

Quid nisi Pacis Amor lata oscula ab Æthere donet?
Da quoque signa mihi talia Pacis Amor.

AMOR INTER PASTORES.

CXXXX.

NAscitur Agnus Amor litandus Ovilis Amori:
Pastores properant, quo trahit Agnus Amor.

Pastores amat Agnus; oves ut amare vicissim
Hi studeant; ac sit Grex vigilatus, Amor.

At cessant vigilare Gregem Agno dona daturi;
Agno Agnique placent: plus Vigilesque placent.

Munera Amoris amat; sed mox ad ovile remittit;
Plus & amare docet, quo vigilare monet.

O Amor Agne, mei Pastor, mea respice Amoris
Dona; Tibique vigil Cor, vigiletur item.

AMOR INNOCENTES.

CXXXXI.

Regni cœcus Amor prima vix luce fruentes
Demetit Infantes, nato ab Amore reos.

Salvus abit Salvator Amor: litatur Amori
Matrum Amor, ignarus victimæ Amore mori.

Ecquid Amor juvat addictos sine amore Puellos?
Scilicet, Innocui nam moriuntur, Amant.

Major nullus Amor, quam Candida victima Amoris;
Lacte, cruore, magis Victima, mente minus.

AMOR CRUENTUS.

CXXXXII.

Sanguine vivit Amor: vix Infans octo dierum;
Jamque cruentus amat: sanguine Seque probat!

Sanguine legali regalem signat Amorem:
Quo Princeps juri subditur ipse suo.

Sanguine gaudet Amor; tela inter, & arma triumphat;
Facto, aut accepto vulnere gaudet Amor.

Quis non Infantem certum fateatur Amorem?
Scilicet ipse Puer signa cruenta gerit.

Illa suus non noster Amor sibi vulnera fecit:
Queis me vix Infans diligat ipse prior.

AMOR JESUS.

CXXXXIII.

NOvimus è Cœlo tandem ſibi Nomen Amori
Impoſitum: Jeſus namque vocatur Amor.

Salvatoris ideſt Omen, Nomenque Salutis:
Quale ſibi melius non facit alter Amor.

O Nomen dulce! o noſtræ Spes unica Vitæ!
O Nomen cunctis una Medela malis!

Non niſi Tale ſonet mea vox; reſonetque meum Cor:
Unaque Vita, Salus, ſit mihi Jeſus, Amor.

AMOR AUSPICIUM.

CXXXXIV.

NAtus Amor ſine principio Deus, anteit annos:
Annosque orditur nunc Homo natus Amor.

Sanguinis auſpicio Primordia dedicat Anni;
Nominis auſpicio Prima ſit Ipſe Salus.

O Amor incipiens, ita noſtram ordire Salutem:
Ut ſis Prima dies: Annua ſisque dies.

Deh ſolis Annus punctis decurrat Amoris:
Totus & Ipſe mihi ſit novus Annus, Amor.

AMOR

AMOR ADORATUS.

CXXXXV.

CUm Verbi mutescat Amor, Fax symbola Amori
Fatur Amoris opus: ducit, itemque docet:

Cœlo Amor eloquitur: Regesque trahuntur Amore:
Tectaque Amoris Amor signat, Amore duce.

Aurum, Thus, Myrrham, Regique, Deoque, Hominiq;
Donat Amor: recipit Dona tria unus Amor.

Quemve tributat Amor regalis, adorat Amorem
Regem: at adoratus plura redonat Amor.

Donat in Infanti Deitatem CREDERE: donat
SPEM Vitæ: intuitum donat AMARE Deum.

AMOR SUBDITUS.

CXXXXVI.

CUncta licet dominetur Amor: licet omnia vincat;
Ultro Subjectis subditur Ipse suis.

Nunc Patris adsciti, nunc jusso Matris obedit:
Namque amat, & paret: dum quoque paret, Amat.

Tale ministerium Virtutis obire decebat:
Quale magisterium Primus agendo dedit.

Ergo noster Amor parere Deoque, Hominique
Discat: ut Ille suus sit quoque noster Amor.

AMOR INTER DOCTORES.

CXXXXVII.

MAtris Amor triduo amissum perquirit Amorem:
Jamque Sophos inter prodit alumnus Amor.

Edocet, an discit Sapiens Amor? audit, & instat
Quæsitis; ut eos instruat Ipse magis.

Hac docet arte nova, Vox Verbi, Vox & Amoris:
Vix audita docet: plusve petendo docet.

O Amor, o Verbum, tali me voce require:
Ut doceasque, petas: quid sit amare Deum.

AMOR BAPTISMA.

CXXXXVIII.

NOn eget abstergi Candor: neque Lux eget unda:
Ergo quid abluitur fulgidus, albus Amor?

Abluit humanos sacro Jordane reatus:
Quos Homo par Homini, sed sine labe, gerit.

Dedicat innocuo tinctas Baptismate lymphas;
Vimque regignendi sanctius indit aquis.

Utque renascatur Soboles amplissima Amoris;
Fonte suo fœtas Spiritus afflat aquas.

Quin Pater è Cœlo Genitum testatur Amatum:
Ergo Lustrales non nisi Amoris Aquæ.

AMOR AGNUS.

CXXXXIX.

ECce Agnus Dei, Amor dictus; Qui crimina tollit:
Quomodo tollit Amor crimina? Amore, nece.

Cur Amor est Agnus, Qui peccatoris amictum
Induit; ac in se crimina cuncta refert?

Cur, Agnus sine labe, in Quem Pater evibrat iras?
Judicis ac justi justa piacla subit?

Agnus Amor sine labe tulit delicta, reatus,
Iras, ac noxas; cur? erat Agnus Amor.

AMOR NUPTIÆ.

CL.

SPonsali Paranymphus Amor Mensæ assidet; inter
Pocula deficiunt gaudia prima meri.

Mutat lympha genus: jussa rubet indole Vinum
Quod sine vite serit prodigiosus Amor.

Supplet Amor conviva hilari nova gaudia potu;
Sanctius ut caleat munere honestus Amor.

Talia portento firmat sacra fœdera primo:
Pronubus hæc auget gaudia Sanctus Amor.

AMOR

AMOR SPONSUS.

CLI.

SPonsus Amor, sed Virgo rosis sua Lilia confert;
Quin Sibi juncta rosis Lilia spondet Amor.

Castus Amor queis nubit, item facit esse pudicos;
Fœcundosque pari Virginitate facit:

Integritatis opes parit obstetrice Pudore;
Quas puro ingenuit corde Supernus Amor.

Virgo prima Trias, primique Alboris Origo,
Virginei hoc docuit nubile Amoris opus:

Edocuit, fecitque suo sibi Flamine, Amori
Nubere Virgineum, Virgine Matre, decus.

AMOR CONJUGES.

CLII.

NObile Conjugium sacriore ligamine nectit
Sanctus Amor: levius ferre facitque jugum.

Servandam docet Ille Fidem: servatque vicissim;
Cordis & unius mutua vota facit.

Hospite Amore quies, Charitesque una æde morantur:
Exule Amore quies exulat, atque Charis.

Scilicet almus Amor pia honestat Prole Parentes;
Patriciosque facit, quot facit esse Satos.

Non nisi Sanctus Amor Sobolem Cœlo educat amplam;
Adducitque Deo, quam dedit ipse Deus.

AMOR

AMOR ZELOTYPUS.

CLIII.

DEperit omnis Amans, quod amat: perit usq; timore,
Ne pereat quod amat; ne suus absit Amor.

Par timor, ac studium, quo dulcem servet Amatum:
Quove ab Eo semper mutuo ametur Amans.

At quoque Zelotypus Deus est: quoque Zelat, & ardet;
Ne sibi Corde uno sit comes alter Amor.

Verè solus Amat: verè vult Solus Amari.
Ergo ut Ametur Amor, Solus Ametur Amor.

AMOR LEGISLATOR

CLIV.

LEgislator Amor Legem Mortalibus unam
Condit: quam Legem condit? Amoris Amor.

Non nisi amare jubet, Qui verbo DILIGE in uno,
Inque Deum, inque Homines cœtera jussa ligat.

O Amor, o Verbum, Lex o plenissima Amoris!
Dum prior hanc Legem Qui jubet, Ipse facit.

Diligit Ipse magis, quam Lege obstringat Amoris:
Quos & Amore ligat, diligit Ipse magis.

AMOR

AMOR LEX.

CLV.

LEx Amor eſt, ſed plenus Amor, Lex plenaq; Amore:
Lex Amor eſt; uno namque ab Amore venit.

Lex ab Amore venit: toto eſt implendaque Amore:
Quæ duo præcipiens non niſi Amare jubet.

Unus ametur Amor; quoque ametur Amoris Imago.
Lex tota impleta eſt, totus amatus Amor.

Lex Amor eſt; ſed Amor ſine limite Legis amandus;
Qui præſcripta aliis, non ſibi fecit Amor.

AMOR EVANGELIUM.

CLVI.

JAmque Amor Orator clamat: modo crimina carpit:
Nunc Leges dicit: nunc documenta ferit.

Terreat, aut doceat, vel ſuadeat; Unus & Idem eſt
Semper Amor: ſemper Suaſor Amoris Amor.

Spernere mortales, & opes adamare perennes,
Suadet amare Hominem; ſuadet amare Deum.

Ecquid Amor foret, unius niſi Rhetor Amoris?
Quid ſuadere queat? quidue docere? Quod eſt.

AMOR PRODIGIA.

CLVII.

NAturam jubet Auctor Amor: mox audit Amorem
  Jussa Parens: Verbi vi sua jura silet.
Cœci oculos, Claudi gressum, Mutique loquelam,
  Extincti lucem, munere Amoris habent.
Quid mirum? Genus omne suum jus debet Amori:
  Illius imperio, ac indole cuncta manent:
Gesta quidem sunt illa suæ Miracula Dextræ:
  Cor tamen est, ut agat Dextera, causa prior.
O Amor, hoc superest inter Portenta supremum:
  Hoc unum rogo Te: Cor mihi fac, ut Amem.

AMOR VIRTUTES.

CLVIII.

SOlis adinstar Amor se se totum undique fundit:
  Aut fugere, aut abdi nemo ab Amore potest.
Ecquis namque Deum effugiat? vel Eum sine Amore
  Sentiat? aut renuat cor sine Amore suum?
Sic Deus ipse docet, se se funditque docendo:
  Ceu se se uno impos totus Amore capi.
Quid Mortalis Amor te angusto pectore claudis?
  Seu distinguis inops arcto in amore modos?
Heus aperi totum pectus; flagret undique pectus:
  Sole docente, modum disce, docente Deo.

AMOR FIDES.

CLIX.

OMnia veridico ſibi dicta ab Amore Fidelis
 Credit non dubius, nec ſpeculator Amor.
Credit Amor non poſſe ſuum ſe fallere Amantem:
 Fallere nolle Bonum Se ſibi credit Amor.
Namq; amat, & credit; nam credit, amatque viciſſim!
 Veracem credit, quo ſibi verus Amor.
Credit, amatque ſimul, dum credulus audit Amoris
 Verbum: & eo credit, quo minus ille videt.
Credit Amor non viſa: cupit venturaque: ſpernit
 Quæ videt: Ergo Deo non niſi credit Amor.

AMOR SPES.

CLX.

OMnia ſperat Amor, qui ſe, ſua fidit Amori:
 Qui ſua fidit; item ſperat & omne bonum.
Sperat Amor bona cuncta ſibi: quin ſperat, ut inde,
 Per bona cuncta Deum poſſit amare magis.
Non ſua quærit Amor tantum; plus quærit Amatum;
 Quem magis ille adamat; quo ſe adamatque minus.
Quin bona cuncta Deo ſoli velit ire tributa:
 Ac ſibi gratuito ſemper amare Deum.
Spem tamen haud minuit, nec præmia digna; ſed auget,
 Quo ſibi nulla petit præmia, talis Amor.
Nec melius ſua res agitur, quam credita Amori,
 Qui, quo diligitur, Munere vincit Opus.

AMOR

AMOR CHARITAS.

CLXI.

NOn mercedis Amor, non laus, neque munus Amorem
Incendit: sola vi sui Amoris amat.

Purus Amor, quia debet, amat: quia dignus Amore est
Auctor Amoris, amat: sine & Amoris amat.

Non ideo spem perdit Amor: non munus Amoris
Perdit Amor: sed spem, & munus adauget Amor.

Non sibi munus amat: sed amat quoque munus Amato;
Namque id Amatus amat: cui placiturus amat:

Sperat munus Amor, sed puri munus Amoris:
Quale est munus? Amor: quo magis auctus Amet.

AMOR UNCTIO.

CLXII.

PRæstat Amor tria dona: emollit, roborat ægrum;
Corque rigens fovet: hinc Unctio dictus Amor.

Perfrictos animos lenit, quos balsami adinstar
Perlinit; atque Deo mox facit esse pios.

Ipse Amor Athletas Fidei facit, ungit, & armat:
Atque animos pugiles in mala cuncta facit.

Ungit Amor, sed nutrit item velut humor olivæ:
Majoresque faces dulcis Amoris alit.

O Amor! adde tribus summum quoque munus Amoris:
Uulneribus, quoties oro, medere meis.

AMOR PIETAS.

CLXIII.

HÆc Pietas eſt vera: Deum cognoſcere, ſeque:
Atque Deum magni; ſeque putare nihil.

Eſt Pietas ſe odiſſe: eſt unice amare Deumque:
Eſt parere Deo: eſt pro Deo acerba pati.

Hæc eſt Vita Dei: eſt Hominis Via, Vita, Salusque:
Hoc juſtum eſt Summæ Spiritualis opus!

Sic age: Sic vere pius eſto, ac verus Amator:
Altera ab hac Pietas, nulla, nec ullus Amor.

AMOR PRUDENTIA.

CLXIV.

REſpicit in cunctis rectum Prudentia finem:
Ac Media in Finem dirigit apta ſuum.

Nullus ineſt Homini Prudentior actus Amore;
Cui ſuus eſt unus Finis, & Ordo Deus.

Cauta cavet vitii prævifa pericula Virtus.
Quæve Deum ſuadent lædere, vitat Amor.

Ergo Amor eſt prudens: ſed eris prudentior illo;
Si quoque Amorem uni dirigis ipſe Deo.

AMOR

AMOR JUSTITIA.

CLXV.

JUstus Amor dat cuique suas, Hominique, Deoque
Æquo jure vices: quos ita justus amat.

Justitiæ tamen est, inter discrimen utrumque
Nosse: Hominemque Deo subdere, amare minus.

Justus idem valet, ac Sanctus, cum colligat omnem
Virtutem: & justus sit quoque Sanctus Amor.

Sanctus Amor si justus item: quid Sanctius illo est;
Quo sua jura Homini stant, sua jura Deo?

AMOR TEMPERANTIA.

CLXVI.

SUstinet omnis Amans æque pius, atque prophanus.
At pius illecebris abstinet unus Amans.

Temperat a cunctis, quæ sensibus unicè amantur;
A Cereris luxu, deliciisque Paphos.

Sobrius Ille quidem, sed ab Uno haud temperat unquam;
A nimio nunquam cessat Amore Dei.

Nec tamen excedit, quamvis excedere vellet;
Quin velit, aut nolit, temperat ille nimis.

AMOR FORTITUDO.

CLXVII.

FOrtis Amor quid non valeat ? quid fortius illo?
Viribus invictis omnia vincit Amor.

Prævalet adverſis: diſcrimina nulla paveſcit:
Gaudet magna pati: gaudet aduſque mori.

Fortior & ſe ſe, innatos ſibi ſubdit amores.
Edomat ipſe iras: vincit & ipſe metus.

Vix tamen infœlix mortalia pectora vincit:
Qui tamen invictum vincit aduſque Deum.

AMOR TOLERANTIA.

CLXVIII.

MAgnum magna agere eſt, magni vis magnaque Amo. (ris.
At majora pati majus Amoris opus.

Hic ſua namque ſuo probat argumenta dolore;
Forma doloris Amor: norma in Amore dolor.

Verbera, probra, ictus, ludibria, vulnera, febres,
Cunctaque acerba facit dulcia dulcis Amor.

Teſtis Amor divinus Amor, ſic ipſe probatus
Summus Amor, ſummo paſſus Amore mori.

AMOR JUGUM.

CLXIX.

QUis neget esse Jugum, quod binos jungit Amores?
Dulce vel esse Jugum, quod facit unus Amor?

Nemo sui contentus amat; Deus optimus ipse
Se plenus, socios nos in Amore petit.

Se jugat Ipse prior: neque jus decertat honoris:
Ceu minor ipse foret: diligit Ipse prior.

O Amor! o Deus immensi, o dignatio Amoris!
Se jugat ipse prior: par facit Ipse Jugum.

AMOR MILITIA.

CLXX.

MIlitat omnis Amans: agitat, patiturque sagittas:
Ille modo vincit; vincitur Ille modo.

Attamen æterno qui certat Amore, triumphat
Ille magis, quando vincitur Ille magis.

Concertasse Deo magna est Victoria: major
Ejus tela pati: maxima Amore mori.

O utinam ferias, Amor o fortissime, pectus!
O Utinam referam Te feriente necem!

AMOR FACILIS.

CLXXI.

RES Amor est facilis: suadet res omnis Amorem;
Quo res omnis amat: cunctaque amare docent.

Quin & amare satis per se se cuncta docentur.
Ac nemo se se doctior esse potest.

Unum difficile est in Amore, adamabile Summum
Diligere: hinc raro verus amatur Amor.

Difficilis, facilis cur est Amor unus & idem?
Sæpe Hominem, raro discit amare Deum.

AMOR PRECES.

CLXXII.

FErvidus orat Amor; namque orare ipsum adamare (est.
Sanctior isque Deum, qui pius orat, Amat.

Evolat in Superos velox Oratio: at alas
Supplicibus votis non nisi jungit Amor.

Auditæ revolantque preces: sed vota quis audit,
Exauditque preces, impetrat, implet? Amor.

O Amor Orator, ne cesses alloqui Amorem!
Optime ut Ipse ores; optime amare stude.

AMOR DONUM.

CLXXIII.

HÆc sua debet Amor supremo munera Amori:
Mirari: grates reddere; amare: dare.

Non satis est mirari, omni quod in ordine rerum
Gessit Amor: grates addere non satis est:

At redamare decet; proprioque in munere Amoris
Optimo Amatori gratificare decet.

Scilicet affectu non est redamandus inani:
Donis, ac gestis est redamandus Amor.

AMOR GRATES.

CLXXIV.

GRatus Amor Grates minimo pro munere pendit:
Ac se pro magno munere pendit Amor.

Ergo quid humanus Divino solvat Amori?
Se se multiplicem, gratus ut extet, agat.

Gratus agat se se cunctis in rebus Amori
Devictis: vel amet reddere, gratus erit.

Gratus erit, si vel cupiat se reddere posse:
Sive Deo cupiat reddere posse Deum.

Hoc Tecum pepigi fœdus: quæ cuncta dedisti
Tu mihi, Amor, volo item reddita cuncta Tibi.

Dona pari visu a Te accepto, parique flagella:
Inde Tibi Grates reddo pro utrisque pares.

AMOR

AMOR BONUM UTILE.

CLXXV.

(Amato.
NOn ſibi amat Bonum Amor: ſed amat ſoli Bonum
Nam ſibi velle bonum, vera cupido ſui eſt.

Nil cupit utilitatis Amor: ſatis optat Amare:
Unicus atque ſui eſt Finis Amoris Amor.

Eſt Amor omne Bonum: nunquid ſimul Utile lucrum?
An pariter ſibi Amans Utilis eſſe queat?

Utilis eſſe poteſt: quid enim magis Utile Amanti
Eſſe poteſt, quam ſi diligat omne Bonum?

AMOR BONUM HONESTUM.

CLXXVI

MUnus conveniens Amor eſt, Hominique tributum:
Ut ſit Homo, ac rectæ ſit rationis amans.

Ut ſit Homo probitatis Amans, feritatis & oſor:
Inque Deum, inque Hominem ſit pietatis amans.

Eſt Virtus Virtutis Amor, Virtutis Amore
Cuncta gerens, Virtus ſe ſine nulla gerens.

Ecquis Amor Virtus melior, quis honeſtior illo,
Qui ſolius amat Fontis amore Boni:

Nil agit, aut contra, aut præter; ſed propter Amorem
Cuncta gerit, veri verus Amoris Amor.

AMOR

AMOR BONUM DELECTABILE.

CLXXVII.

DElicias cupit omnis Amor: ſine gaudio amare
  Vix Amor eſt: ipſum quidquid amare frui eſt.

Grande frui eſt gaudere Bono, gaudere Bonoque
  Ipſo eo in æternum, quod beat uſque Deum.

Pulchrum Amor objectum ſemper meditatur, amatque:
  Deliciaſque putat: Pulchrius anne Deo eſt?

Ecquis amare Bonum neget oblectabile? quando eſt
  Fonte potitus Amor, Flumine potus Amor?

AMOR QUIS.

CLXXVIII.

VErus Amor Deus eſt, veri Fons unus Amoris:
  Hic Amor eſt; quo Se diligit ipſe Deus.

Verus Amor Deus eſt; qui nos dignatur amare;
  Hic Amor eſt, qui nos mutuo amare facit.

Verus Amor Deus eſt: quo nos Deum amamus Amorem;
  Diligi & a cunctis noſter anhelat Amor.

Verus, & unus Amor Deus eſt: Amor alter, adulter
  Eſt Amor, aut nullus: vel ſimilatus Amor.

AMOR

AMOR SUSPIRIA.

CLXXIX.

O Amor oro meæ, quod amem Te, ſuggere menti:
Et ſuade cordi Te redamare meo.

Teque meo verſare animo fac deprecor unum:
Nec niſi moliri fac tua geſta manum.

Da vires, quibus ampleɛtar, teneamque Te Amorem:
Quam Te dimittam, da precor, ante mori.

Fac mori in amplexu tui, Amor dulciſſime Amorum,
Teque auctore, Uno non niſi Amore mori.

AMOR CONTRITIO.

CLXXX.

O Amor, Unus Amor, ſuper omnia diligo Te Unum:
Unum Te toto diligo corde Deum.

Pœnitet offendiſſe Bonum Te Summum ob Amorem;
Quo Te Summum in Te proſequor ipſe Bonum.

O utinam mihi detur Amor; quo ſemper amare
Te valeam; nunquam lædere Teque velim.

Sic volo, ſic ſtatuo facturum crimina nunquam:
Ne Bonitatem unquam ceſſem adamare tuam.

AMOR HUMILITAS.

CLXXXI.

DIc mihi, dulcis Amor, caufam tam grandis Amoris,
Quo me profequeris tot fine fine modis?

Ecquis ego? nihil omnino: quis Tu? omnia prorfus:
Ecquis ego? omne malum: Tu quis es? omne bonum.

Dic mihi, dulcis Amor, caufam nullius Amoris,
Cordis tam duri, tam mali in omne Bonum?

Namque Bonus Tu es, amas me: ego namque malus, re-
Te nolo: ergo ut amem, me mihi tolle prius. (damare

AMOR GENUS.

CLXXXII.

QUem Virtus, & Amor veri genuere parentes,
Verus honos, & Amor, veraque lætitia eft.

Quod vitium, vel Amor nothus induxere, prophanum eft
Solamen, ftudium futile, inane nihil.

Oro Amor, ingenio hæc noftro procul efto voluptas:
Arce, Amor, è noftro pectore tale nihil.

Ne, rogo, amor meus ifte capax veriffimi Amoris,
Quo Deus ipfe flagrat, tam male depereat.

AMOR

AMOR NOBILITAS.

CLXXXIII.

NObilitas cœlefte genus venit à Patre fummo:
Scilicet unde genus nobile duxit Amor.

Nobilis ergo Amor eft, qui nulla fpeque, metuque
Ductus agit: nullo munere gratus amat.

Qui nihil indignum admittit Virtutis honore:
Nilque Dei arbitrio dignius effe putat.

Ergo Amor unde habuit, reddat jus Nobile: fitque
Nobilitatis opus maximum amare Deum.

AMOR AMICITIA.

CLXXXIV.

TE fine nulla valent; nec durant longius ulla
Vincula Amicitiæ, quæ tuo Amore carent.

Non me, fed mea Amicus amat, qui fpe fit Amicus:
Vel ftipe captus amat: ferre vel odit opem.

Quæfo a me tales, verax Amor, abftine Amicos:
Hifce lubens caream; ne quoque Te caream.

Ille mihi fit Amicus Amor, qui haud indigus ipfe:
Uult bona cuncta mihi; meque, ut ametur, amat.

AMOR

AMOR REFUGIUM.

CLXXXV.

SÆpe animum torquent curæ: ſæpe urget egeſtas:
Ilia ſæpe febris, membraque morbus edit.

Pertæſique malis non auxiliantur Amici:
Quin aut illa negant: aut mala noſtra cavent.

Proh dolor! unde ſalus veniet? quo confugiendum eſt?
Unus Amor noſtris eſto medela malis.

Ergo age cor, ſub Amoris opem fuge; tradere Amori:
Cogat Amor curas cedere; vincat Amor.

AMOR ULTIO.

CLXXXVI.

ILlico parcit Amor læſus: quin diligit hoſtes:
Namque ita & exemplo doctus, & ore Dei eſt.

Neſcius ulciſci, veniam ſolo ultus Amore
Sponte prior defert; vel petit ipſe prior.

Ultio nulla datur major, qua vincitur hoſtis
Munere; qua ſe ſe vindice vincit Amor.

Ultio vera Dei eſt; verique character Amoris:
Nemo Deum, aut Homines plus adamare poteſt.

AMOR

AMOR LACRYMÆ.

CLXXXVII.

ORat Amor ſine voce orat: ferventius orat,
Quo ſilet: orat Amor quo magis ille gemit.

Nulla Deo magis accepta eſt Oratio; quam quæ
Plus cor, quam mentem tollit; & addit opus.

Clamat, amat, pronaſque Dei quatit altius aures
Clamor Amor, Deum enim plus ita clamor adit.

Plorat, & orat Amor, lacrymæ, ſuſpiria, vota,
Sunt Amor: his clamat, plorat, & orat Amor.

Ergo Amor, ut ſit Amor lacrymis pro vocibus oret:
Utque Deo placitis fletibus oret, amet.

AMOR PROPOSITUM.

CLXXXVIII.

INdignum me namque tuo conteſtor Amore,
O Amor, extra Te fac, rogo, necquid amem.

Ne ſaltem Te odiſſe auſim, fac Optime Amorum:
Deh ſaltem impedias, ne grave crimen amem.

Omnia da potius miſeræ diſcrimina vitæ:
Sed pariter vitæ crimina tolle reæ.

Me dono ſin quando tui dignabere Amoris;
Fac, Donatorem plus ego totus amem.

AMOR

AMOR QUÆSITUM.

CLXXXIX.

QUæro,quid eſt Amor? ac dum quæro,ipſo utor Amore:
Nec ſine Amore peto diſcere, quid ſit Amor.

Quæro, quid eſt Amor ? at nemo mihi dicit Amorem:
Solaque reſpondet verba : ea neſcit Amor.

Quæro, quid eſt Amor? haud eſt aurum, fama, Venuſq;
Quæ bona vel mala ſunt, haud Amor eſſe queunt.

Ergo quid eſt Amor? eſt Deus omnia: & omnia donans:
Eſt Homo reſpondens, cum Deus inquit : Amo.

AMOR CONTEMPTOR.

CLXXX.

O Amor, alta manent: quid humi repis? quid inhæres
Limo? quidve malo quæris amore bonum?

Aſtra manent: nec iter Cœli facit infima Tellus:
Crede mihi eſt Virtus, aut Amor altus, iter:

Non Venus, aut nomen, non copia flava metalli:
Talia qui ſequitur, fallitur, errat iter.

Fallitur, ac toto cœlo vagus errat, aberrat.
Meta viæ Deus eſt: eſt Amor unus iter.

Heus Amor eſto Unus: Deus Unus & eſto: relinque
Plura: Unum tene iter: temne minora Deo.

AMOR CHARACTER.

CLXXXI.

INde ſcias, num vera tuo dilectio cordi
Inſideat: ſi mens oderit omne malum.

Si culpæ oderis omne malum: ſed amaveris ipſe
Omne malum pœnæ, verus Amator eris.

Crede mihi nullum hoc magis eſſe probabile ſignum:
Nullum audere malum; ſed mala cuncta pati.

Ergo lubens mala cuncta feras ſed Amoris ab ictu:
Et mala cuncta feras; ut mala nulla geras.

AMOR EXEMPLAR.

CLXXXII.

ESt Amor Exemplar cuicumque imitabile cordi:
Mox fit Amatus Amor, ſi videatur Amans.

Pulchra Animi ſpecies Amor eſt: cenſetur in illa
Verus Homo: hanc ſpeciem deperit omnis Amans.

Arctius exemplo tamen Ille refertur Amoris,
Quem ſua amabilius ſtringit origo Deo.

Prima Hominis ſpecies ipſa eſt Deitatis Imago:
Sit Deitatis Amans; pene erit ipſe Deus.

AMOR REX.

CLXXXIII.

Rex Amor in cunctis affectibus imperat unus:
Dignior & cunctos Rex moderatur Amor.

Vis, Timor, Ira, Dolor, soli famulantur Amori;
Quos parit, urget, alit, quos regit unus Amor.

Nulli cedit Amor; tantum sibi cedit eidem:
Cui quoque Rex Regum cedit & ipse Deus.

Cedit Amor, non servit Amor divinus Amori:
Unus ut in cunctis regnet amatus Amor.

AMOR VIRGO.

CLXXXIV.

NUbere quærit Amor: sibi soli vivere tædet:
Quo quo, cui nubat, circuit, optat, habet.

Se Sponsum cupit esse, novos ut gignat Amores;
Utque Animos uno jungat Amore duos.

Spondeat, o utinam, mortalia pectora Amori;
Qui sit Amor verus, perpetuusque, Deo!

Sanctius hoc thalamo nihil est, ubi Sponsus, & idem
Fit Paranymphus Amor, Sponsaque Mens ut Amor.

Fœlix Conjugio Integritas! quo Virgo Propago
Prodit Amoris Amor, Conjuge Virgo Deo.

AMOR PATER.

CLXXXXV.

FIt Genitor vix Sponsus Amor fœcundus Amoris:
Atque Patri similem se parit ipse sibi.

Filius usque Dei, tanti fit Partus Amoris:
Divinumque genus Prolis imago refert.

Proh quantum! proh quale decus! proh qualis origo!
Nasci ab Amore, a Quo conflagrat ipse Deus.

Hoc unum superest, quod Amor productus Amore,
Sit fœcundus item, gestaque Amoris agat.

Hoc unum esto mihi studium, dum vixero; Amoris
Ad genus institui, ut sim quoque imago Patris.

AMOR FRATRES.

CLXXXXVI.

ERgo Amor humano procul esto a corde prophanus:
Jus teneatque suum Divus, & Unus Amor.

Sit Deus Unus Amor: sed num de corde recedat
Et Fraternus Amor, ne duplicetur Amor?

Absit: Amor duplex haud esto, sed unus & idem,
Quo Deus ut Pater; ut Frater ametur Homo.

In Deo ametur Homo, ac propter Deum ametur; eiq;
Patri ut Amor placeat, Frater ametur Homo.

Fratris Amator, item Patris sortitus Amorem,
Filius Æterno est dignus Amore Patris.

AMOR

AMOR SERVITUS

CLXXXXVII.

SErvit Amor tamen obſequio ſe ſubdit honoro:
Quo nil nobilius regia ſceptra tenent.

Servit Amor, ſed Amore; ſuoque inſervit Amori:
Quo nihil in Mundo dulcius eſſe poteſt.

Servit Amor Regum Regi, Dominoque ſupremo:
Quo nullum Imperium celſius ire poteſt.

Serviat altus Amor, ſummo famuletur Amori;
Regius ut ſit Amor, regnet amando Deum.

AMOR HONOR

CLXXXXVIII.

MAgnus Amor fit magnus Honor:neque major Amanti
Laus datur, aut major Gloria, quam quod Amet.

Dignum opus eſt:Hominiq; datum,quod ametur Honeſtũ.
Ecquid honeſtius eſt, quam quod Homo ſit Amans?

Nil Laudabilius, nihil eſt hoc dignius actu;
Qui probet humani nobile moris opus.

Dignus Amor, niſi fraudet opus, niſi fallat Amantem:
Dignus Amor, Dignus ſi redametur Amor.

AMOR

AMOR COMES.

CLXXXXIX.

VIta via eſt: Patria eſt Deus: eſt Homo quiſq; Viator;
Naſci egreſſus: iter vivere: meta mori.

At Comes exotici quis erit Viventis amicus?
Quis per iter dubium fidus Achates erit?

Solum Hominem non eſſe bonum Qui dixit: Amori
Junxit: an ergo Comes dicitur alter Amor?

Quin melior Comes ipſe Deus, quoque Dux Amor ipſe:
Qui trahit ad ſe, qui dum comitatur, amat.

Cum civilis Amor, conſanguineuſque recedit,
Vi propiore ſuam fert Amor altus opem.

AMOR UNIFORMIS.

CC.

SIve pati mihi, ſive mori ſtet: utrumque libenter
Accipio: ſi utrius cauſa ſit unus Amor.

Nulla futura mihi cura eſt, num plurima paſſus
Jam fuerim: pro Te quando tuliſſe ſciam.

Dummodo perveniam, quo tendo: dummodo Portum
Attingam: fungar dummodo Amoris opus;

Lætus ero: breve tempus abit: labor exit Amoris:
Stabit ſolus Amor: dulce pati: opto mori.

AMOR MEDICUS.

CCI.

GEſtat Amor pharetram, gerit, ingerit Ipſe ſagittas:
Uulnerat, ac eadem vulnera ſanat Amor.

Ægros Ipſe facit nimio fervore: febreſque
Temperat igne ſuo; liberat arte ſua.

Cur agit hæc ſibi diverſus? nempe accipit omnes
Ipſe ſibi morbos, ſeque ferente luit.

O Amor, inque meas tua ſpicula mitte medullas.
At plagas cures non niſi morte meas.

AMOR SANITAS.

CCII.

NOn eſt ſanus Amor, quod morbos neſciat ullos:
Sed quod eos fortis vincere novit Amor.

Conſcius æger Amor morbos Deo Amante venire!
Immo venire ſibi dante, jubente Deo,

Cogitat æger Amor patientis Amoris Amorem,
Mox Cruce, mox fit eo Sanguine ſanus Amor.

Cogitat æterni ſibi tradita Pignora Amoris:
Convalet extemplo; aut in mala cuncta valet.

AMOR SATOR.

CCIII.

COrdis agro ſerit altus Amor: quid? ſemen Amoris;
Ergo Cordis agro ſe ſerit ipſe Sator.
Qui ſerit, Ipſe colit, rigat Ipſe, vireſcit & Ipſe
Cordis Amator Amor, Cordis Amatus Amor.
Tale incrementum, talis Flos, Fructus Amoris,
Quale Satoris opus, ſed quoque Cordis opus.
Scilicet unus Amor; qui ſe, vimque indit amandi;
Qui ſeritur metitur, Qui ſerit Ipſe metit.
O Amor, oh noſtro ſere Te, Sator optime, Corde!
O Cor ager, ſaltem concipe Amoris opus!

AMOR VENATOR

CCIV.

ESt Socialis Amor: ſolus non vivit: Amicos
Quærit: Amatores quos facit eſſe diu.
Non ita Venator volucres viſco aſſequi anhelat,
Telo, aut ignita glande ferire feras:
Sicut Amor Socios venatur Amoris alumnos;
Cuncta inhiatque armis Corda ferire ſuis.
Uulnerat hæc igne; ignitis cremat illa Sagittis:
Cunctaque amans Auceps devovet icta Deo.
Oh cadat aucupio tali Cor, & Aucupe tanto!
Præda feræ Mortis, ni capiatur, erit.

AMOR

AMOR PASTOR.

CCV.

MUnus agit Paſtoris Amor; ſeu Paſtor Amoris
Munus agit; ſeu non eſt niſi Paſtor Amor,
Paſtorum Princeps Deus eſt Amor ipſe, tuendo
Natus perpetua ſedulitate Gregi.
Paſtores habet inde ſuos Eccleſia Amori
Sponſa Deo, quorum munera format Amor.
Ergo Paſtores Deum ament, itidem Gregem amabunt;
Ut ſint Paſtores; ſit quoque Paſtor Amor.
Ut ſit Paſtor Amor, Primi ſit Paſtor Amoris:
Sit cruor, aut ſudor teſtis Amantis oves.

AMOR SACERDOS.

CCVI.

LItat Amor ſe ſeque offert: ſitque ipſe Sacerdos,
Victima, & Ara, Rogus: ſe ſibi litat Amor.
Quidquid agit, patiturque, Deo libamina defert:
Munera, Myſta, placent: plus placet ipſe Rogus:
Plus Amor ipſe placet; qui plus accedit Amori,
Unde venit; qui plus ſymbolus ipſe Deo eſt.
Ergo litet Amor, ſua cuncta incendat Amori:
Litet Pontificum Maximi adinſtar Amor.
At quis par litet? quis tantum imitetur Amorem?
Qui magnus modica & munera donat Amor.

AMOR SACRIFICIUM.

CCVII.

SUpremum Pietatis opus cenſetur, eidem
 Res quaſque Auctori ſacrificare Deo.

Victima nulla tamen litanda ſine igne putatur:
 Ac ſine Amore Dei Victima nulla placet.

Mactat Amor ſua, ſeque Deo: facit Ipſe Sacerdos:
 Ara fit, & Gladius, Victima, & Ignis, Amor.

Ipſe Amor edocuit ritum, Crucis uſtus in Ara:
 Ligno, ac Igne ſuo Sacrificatus Amor.

AMOR VICTIMA.

CCVIII.

CUm video Segetes, aut Vites, illico menti
 Occurrit magnum Myſtici Amoris opus.

His recolo ſacriora mei Myſteria Cultus:
 Hoc Amor, hoc conſtat Pane, Meroq; Deus.

Frugibus his litatur Amor ſata Victima Amori:
 His paſta eſt Pietas, hauſtaque amora ſitis.

Proh fortunatæ Segetes, Viteſque beatæ!
 Queis dat Amor fieri Vitam Hominum, uſque Deum.

AMOR

AMOR ALIMENTUM.

CCIX.

FIt Cibus, & Potus ſub Pane, Meroque paratus:
Fit Caro, fit Sanguis: Vita fit ipſa Deus.

Quid cupiam meliora? Deus mihi tranſit in eſcam:
Corpore Amoris alor: Sanguine Amoris alor.

Vivo ego, vivit Amor: ſimul in me vivimus Ambo.
Quin ſimul Ambo in Eo vivimus unus Amor.

Plura tamen cupio: cor grandius opto: & Amorem
Immenſum immenſo pectore amare velim.

AMOR SACRAMENTUM.

CCX.

FActus Homo Deus, humanum ſibi vinxit Amorem.
Vinxit membra ſibi, corque, animumque ſibi.

Fecit, ut humanum propius ſentiret Amorem;
Seque Deum humanus plus redamaret Amor.

Arctius inde Homini ſe ſe Deus inſerit ipſi:
Nempe fit Ipſe Homini Potus, & Eſca Deus.

Non habet alter Amor majora his vincula Amoris;
Queis Caro, queis duplex Vita fit unus Amor.

AMOR

AMOR TESTAMENTUM

CCXI.

MAgnum inſtauravit Sanguis Patrimonium Amc
Quod Teſtamenti jure reliquit Amor.

Hæredem inſtituit, ſed quem? ſui Amoris Amorem;
Gratia cui data ſit: Gloria danda foret.

Has Teſtator Amor ſignat, firmatque ſigillo
Sanguinis; atque ſua Morte valere facit.

Quas Teſtatori grates quoque debeat Hæres!
Ac Patris extincti quam memor eſſe ſui!

Regni Hæres fit Amatus Amor ſibi Sanguine parti;
Regi ergo, aut cruor, aut eſt referendus Amor.

AMOR HORTUS.

CCXII.

QUis Dolor, aut quantus fuerit patientis Amoris,
Inque Deum, inque Homines, ipſo ab Amore ſcias
Ipſe Amor æqua fuit ſummi menſura Doloris:
Quatenus una fuit cauſa Doloris Amor.

Ergo ut ames multum, quoque tu multumq; doleto:
Utque ſatis doleas, tu quoque amato ſatis.

Tu tibi te doleas, cauſamque fuiſſe doloris;
Ac doleas, ut ames: ſitque Amor ipſe dolor.

Deliciaſque tuas lacrymis, & Sanguine mixtus
Hic Suus, atque tuus diluat Hortus, Amor.

AMOR

AMOR SUDOR.

CCXIII.

DElicias cum ſemper Amor ſibi fecerit Hortis;
Cur modo delicias Sanguine delet Amor?

Sanguine ſudat Amor, dum plorat, & orat in Horto:
Ut maculas bino diluat amne meas.

Hic didicit Deus ipſe mori, cœpitque pavere
Fata; quibus lueret prima Secundus Adam.

Primævo ruit omne Genus mortale Vireto;
Morſque, boni, atque mali Scientia, tota fuit.

Hac didicit Deus ipſe mori, mortemque piare
Morte alia, Vitæ quæ nova Planta foret.

O Amor alter Adam, quoties ego videro Flores,
Fac, rogo, Sudoris me meminiſſe tui.

AMOR VINCULA.

CCXIV.

PRoditur a Juda: trahiturque ligatus ad Annam:
Utraque perfidiæ crimina vera meæ.

Heu trahitur captivus Amor! quis traxit Amorem
Captivum? Ipſe ſuo tractus Amore fuit.

Tractus Amore fuit, ſcelerum tractuſque furore;
Hæc traxere nimis: traxit at Ille magis.

Talibus, oro, trahar vinclis captivus Amoris:
Nulla eſt libertas plus placitura mihi.

AMOR

AMOR REATUS.

CCXV.

QUid reus egit Amor? quæ, qualia crimina gessit?
 Mortales nimium nunquid amavit Amor?

Ecquid fecit Amor? cur sistitur ante tribunal?
 Ergone qui Deus est, creditur esse reus?

An Judex Hominum defert sub Judice litem?
 An scelus injusti Judicis Ipse refert?

Addictus morti arbitrio Prætoris iniqui,
 Pœna multatur propria Amoris Amor.

AMOR VERBERA.

CCXVI.

NUdus Amor pudet: inflictis rubet Ipse flagellis:
 Utra magis pœna est? num Dolor, anne Pudor?

A capite, a tergo, a latere, a manibus, pedibusque,
 A toto Christi Corpore Sanguis abit.

Circumquaque lacus rubet amplo a flumine fusus
 Quo mea mergatur culpa; resurgat Amor:

Quo trahat ortus Amor meliori a Sanguine Vitam:
 Sitque cruore Dei vivere grande Genus.

Gutta sat est: quid Amor se tanto in Sanguine fudit?
 Vix vivit toto in Sanguine tantus Amor.

AMOR SERTUM.

CCXVII.

ECce Homo, Rex Regum illusus sub imagine Regis:
Talia Mortales jura dedere Deo!
Saxum dat Solium: Sceptrum dat Arundo: Coronam
Spina: Lacerna Ostrum: Sputa tributa ferunt.
Talia dedecorum formant insignia Regem.
Pœnarum Regem talia signa notant.
Vixque Homo tot signis potuit Rex iste putari:
Vixque putandus Homo Præside teste fuit.
Innuit unus Amor Regique, Hominique ferenti
Tot probra sponte sua, non nisi inesse Deum.

AMOR NON AMATUS.

CCXVIII.

TAntus Amat, nec Amatur Amor: vilissima amantur
Omnia, cur solus non & Amatur Amor?
Ignoratur Amor; cuncta ignorantur Amata:
Causaque sunt tanti lumina cœca mali.
Scientia prima Boni, atque Mali sibi fecit utrumque
Ignotum; ac verum quid sit amare Bonum.
En Crucifixus Amor meus; ut me solvat Adami
A Ligno; ut Vitæ me inserat Ille suæ.
O Amor, o Lux prima, illam deh Scientiam Amori
Tolle meo; ac Te Unum da mihi scire Bonum.

AMOR LÆSUS.

CCXXI.

QUis putet usqueadeo mortalem audere furorem!
  Usque & Amatorem posse ferire suum?

Quæ foret impietas ipsummet lædere Amorem?
  Quæ, si Divinus sit quoque læsus Amor?

Proh quantum, proh quale foret sine nomine Crimen!
  At Scelus Humanum non nisi nomen erit.

Solus Homo summum potuit patrare malorum:
  Plus adamatus Homo, plus inimicus Homo est.

AMOR OCCISUS.

CCXXII.

JAmque Amor humana perit impietate peremptus:
  An forte impietas major Amore fuit?

Absit: Amor cedit nulli: omnia vincit: habetque
  Plus Pietatis Amor, quam feritatis Homo.

At perit ictus Amor clavis, cruce, vepre, flagello
  Jesus obit: nostræ sic valuere manus.

Sic nostræ voluere manus, valuere ministræ:
  Plus Amor at voluit; plus valuitque Deus.

AMOR CRUX.

CXXIII.

UT Pater oſtendat ſummo ſe proſequi Amore
Mundum, illi Genitum tradidit uſque ſuum.

Ut Pater oſtendat ſummo ſe proſequi Amore
Natum, illi duram tradidit uſque Crucem.

Ergo Crux ſummi cenſenda eſt pignus Amoris:
Quam tam dilecto dat Pater ipſe Sato.

Ergo Deum quanto afficias vis noſcere Amore:
Quanto ſuſcipias, cogita, Amore Crucem.

AMOR CRUCIFER.

CCXXIV.

LIgno Mortis Amor Montem conſcendit onuſtus:
Ut Lignum Vitæ ſit Crucifixus Amor.

Pondere mortali tulit, abſtulit Ille gravamen:
Dum tulit Ille Crucem, ſuſtulit Ille necem.

In Montem ad Mortem trahitur Cruce, Crimine preſſus:
Crux tamen a ſolo Crimine pondus habet.

Ergo tulit grave pondus Amor moriturus in illo:
Fer quoque Mortalis, ne moriare, Crucem.

Ille tulit, retulitque ſua tibi ab Arbore Vitam:
Tuque feras, fructum quo referaſque parem.

AMOR CRUCIFIXUS.

CCXXV.

MUlta dedit, tulit, egit Amor; quibus Ipſe probetur
 Eſſe Amor, altus Amor, verus, & unus Amor.

At numquam Se argumento majore probavit;
 Quam Crucis e Cathedra, quam Crucifixus Amor.

Verus Amor Crucifixus Amor! Qui plura patrare,
 At non plura pati, plus vel amare poteſt.

Plura quidem patrare poteſt: quæ? me quoque Ligno
 Figere, ut oro, ſuo; meque ab Amore mori.

AMOR PASSUS.

CCXXVI.

QUid poteras magis Ipſe pati, magis Ipſe patrare
 O Amor, ampla Tui quo mihi ſigna dares?

Omnia feciſti bona propter me: omnia paſſus
 Es mala propter me: quid mihi plura dares?

Te quoque feciſti propter me, Teque dediſti
 Totum propter me; totus ut ipſe Te amem.

Ex oculis Lacrymæ: toto de Corpore Sudor:
 De Latere, ac Plagis Sanguis, & Unda fluunt.

Me plorant Lacrymæ: me ſanat Sudor Amoris:
 Me redimit Sanguis: me ſimul Unda luit.

Quid niſi Te propter mea cuncta geram, patiarque?
 Quid niſi reddendo me Tibi, totus Amem?

AMOR SITIENS.

CCXXVII.

ERgo ſitit Fons ipſe, ſitim Qui exundat in omnem?
Ergo ſitibundus, Quem ſitit omnis Amor?

Quid ſitit ergo? novum licet ebrius optat Amorem.
Eſt Amor iſta ſitis; qua ſitis hauſtus Amor.

Hauſtus agone iterum ſitit: ergo ſitis nova quo hauſtu
Explenda eſt, toto vix madefacta Deo?

Expleta eſt ſuæ Amore necis, meæ Amore ſalutis:
Quam pariter mecum, meque ſitire ſitit.

AMOR POTATUS.

CCXXVIII.

NE ſitiat potâtur Amor, ſed felle, & àceto;
Potio plus tantæ non erat apta ſiti.

Plura pati ſitit iſta ſitis, paſſura magiſque;
Debuit eſſe ſuus mortis amaror Amor.

Potus amarus Ei offertur, ſed dulcis Amori:
Vix bene libatus reſpuiturque liquor.

Noluit extingui ſitim Amor nec potu ab amaro:
At ſiti Amoris Amor maluit uſque Mori.

AMOR

AMOR IGNOSCIT.

CCXXIX.

IGnoſcit moriturus Amor lictoribus ipſis:
Ignoſcique ipſis a Genitore petit.

Quæ docet Ipſe facit; ſe ſe documentaque firmat:
Litat, obit, redimit: diligit, unde perit.

O Amor, ignoſcas mihi item: Patremque precare;
Ut mihi parcat item: per tua Verba rogo.

Ut mihi parcat Amor Patris, Nate ipſe viciſſim
Parce; ac in Fratres da mihi tale Genus.

AMOR MATER.

CCXXX.

MAter Amoris adeſt Nato dulciſſimo Amori;
Dum Cruce fixus Amor proprio Amore perit.

Statque Crucem juxta, velut ipſo in ſtipite fixa:
Commoriturque Sato mutuo Amore Parens.

Ille dolore perit, perit Illa dolore viciſſim:
Natus Amore perit: Mater Amore perit.

Cur remanet Genitrix, Nato moriente, ſuperſtes?
Sentiat ut Lateris vulnus, Amoris opus.

AMOR MORITUR.

CCXXXI.

HEu perit Almus Amor, proprio placiturus Amori!
Heu perit Almus Amor, quo valet Omnis Amor!

Heu perit Omnis Amor! functo quis vivat Amore?
Vita Amor eſt Vitæ, vivere cujus erit?

Heu perit Altus Amor! lacrymæ, ſuſpiria, queſtus,
Per vos aut redamet, vel redivivat Amor.

Heu perit Altus Amor! quid Eum alloquar ergo deinceps?
Cor ſile; Amor moritur: ſed quid amabo? mori.

O Amor, id ſaltem detur, nece Amoris obire:
Hac nece plus vivam, quam magis Ipſe dabis.

AMOR COMMORITUR.

CCXXXII.

CUncta dolent Elementa, Deo moriente; dolentque,
Namque & amant: ſenſu, non & amore carent.

Terra, Silex, Sol, Aſtra, Deum teſtantur obire:
Teſtantur nimio ſe quoque Amore mori.

Sola reviviſcunt Monumenta, Cadavera, Manes;
Læta ſibi Vitam Mortuo Amore dari.

Sola mori renuunt Mortalia corda dolore:
Solaque dura magis vivere Amore negant.

AMOR CÆLITES.

CCXXXIII.

ANgeli item Pacis flent funera Amoris amare:
Illiusque vices se potuisse velint.

At saltem moriente Deo didicere dolorem;
Quo docuere Homines posse dolere magis.

Posse Homines, Hominesque reos, Hominesque redemptos,
Auctoresque necis, posse dolere magis.

Vix Hominesque dolent: quin gaudent funere Amoris:
Quid plus possit Amor? plus Hominesve queant?

AMOR LANCEA.

CCXXXIV.

EXtincti ferit usque latus fera Lancea Amoris;
Unde cor è patulo pectore fundat Amor.

Non poterant meliore loco sacra perfodi Amoris
Membra: nec exanguis plura valebat Amor.

Sanguis, & Unda fluunt extremi Pignora Amoris:
Primaque nascentis Sponsæ Elementa suæ.

Quis furor hoc potuit scelus ultus adusque Cadaver?
Quisve nefas tantum in se tulit ultus Amor?

Charus Amor me adamavit adhuc post fata superstes!
Ad Cor iterque dedit, quo meus intret Amor.

AMOR ALTERA MORS.

CCXXXV.

DEpoſitus Cruce Amor, cur non mox conditur Urna;
Tantum perfidiæ ne memoretur opus?

Siccine Matris Amor Maternis redditur ulnis?
Unde oritur, Moritur? Qui perit Ipſe ferit?

Anne ſemel periiſſe parum eſt? iterumque Parentis
In gremio eſt Utrius bis moriturus Amor?

Anne Sato Quæ non tulerat naſcente dolores:
Debuerat toties Illo obeunte mori?

AMOR PIETAS

CCXXXVI.

SI Pius almus Amor fuit uſquam creditus, inter
Materna exanimis brachia is Ille fuit.

Cur PIETATIS habet Nomen, Qui vulnerat uſque
Exuvias Nati, Viſcera Matris, Amor?

Durus Amor! Sed cerne ſuum pius Ipſe dolorem;
Durus Amor fiet mox Pietatis opus.

Mirus Amor Pietatis opus! bis funere in uno
Poſſe mori: bino funere velle mori!

Qui didicit non poſſe mori Genitoris ab Ulnis,
Matre Satus didicit bis ab Amore mori.

AMOR

AMOR SEPULCRUM.

CCXXXVII.

CUm sibi quęrat Amor gelidum, durumque Sepulchrū,
Oh saltem apta sibi Cor foret Urna meum!

Frigidus anne lapis potuit sibi claudere Amorem?
Ignem quis teneat, contineatque Deum?

Læthali se clausit Amor presso igne sub antro:
Vita necem tenuit: Se tenuitque Deus.

Deh mihi pravus Amor Tumulo cinerescat in isto;
Ac Pius exurgat ceu novus Ignis Amor!

AMOR EPITAPHIUM.

CCXXXVIII.

HIc jacet ille Deus, Cœli, Terræquæ Creator;
Qui jussit Verbo vivere Cuncta suo.

Hic jacet ille Deus; qui Sanguine Cuncta refecit;
Utque reviviscant mortuus Ipse fuit.

Hic jacet ille Deus proprio mactatus Amore;
Qui fuit innato Nômine dictus Amor.

Hic Amor ipse jacet nostri expectator Amoris;
Ut suus è nostro mox redivivat Amor.

AMOR QUESTUS, & QUÆSTIO.

Quota Obitus Dies Sepulchro inſcribenda?

CCXXXIX.

HEus Amor ad lacrymas: gemit heu ſub marmore (Riſus!
Atque unà Charites una obiere die.

Proh memoranda Dies, nigroque notanda Lapillo!
Si tamen illa Dies, quæ ſine luce Dies.

At ne, Lector, eam quære hoc in calce Sepulchri:
Scilicet illa omni jure ſilenda fuit.

Dicas, oro, Diem, qua ſit Patris ortus ab ore
Hic Deus? haud ſcis? cur qua perit ergo ſcias?

Sexta Dies Hominem peperit: Lux Sexta redemit.
Hæc memorare ſat eſt: quærere plura nefas.

Quærere nocte Diem, quæſitum eſt futile: nulla eſt
Nocte dies: nulla eſt Sole obeunte dies.

Debuit expungi numero Lux illa dierum,
Auſa vel è vivis eripuiſſe Deum.

Æternum extinctum Numen fas conjicere hinc eſt;
Quod nequit ulla dies ſcribere: nunc moritur.

Ergo ſub æterno lateat Lux illa ſepulchro:
Ergo Dies pereat, qua perit uſque Deus:

Hanc notet unus Amor lacrymis ſine tempore fuſis:
Perpetuoque Deum flere ſit illa Dies.

AMOR

AMOR AD INFEROS.

CCXXXX.

E Cœlo descendit Amor Genitricis in alvum :
E Cruce descendit Marmoris in gremium.

E Tumulo descendit Amor loca in infera Terræ;
Quo pariter Functos Functus amaret Amor.

Noluit in gelido frigere Cadavere Amorem:
Nempe vel extinctus plus adamavit Amor.

Non habet ulterius, quo jam descendat in Orbem:
Ergo descendat Cordis in ima mei.

AMOR RESURGIT.

CCXXXXI.

MArmorea consurgit Amor redivivus ab Urna:
Ceu nouus Eois Sol redivivit aquis.

Lumine cuncta replet; vultu exhilaratque sereno:
Cuncta calore fovet; cunctaque Amore novat.

Surge, Amor, è nostro quoque pectore, Surge, triumphe;
Luce, calore, novus Corda refunde Sator.

Tecum noster Amor Vitæ hujus gaudia spiret:
Spiret & æternus Te fruiturus Amor.

AMOR SUSCITAT.

CCXXXXII.

MArmora franguntur Moriente: infracta resistunt
Exurgente Deo: Marmora Numen amant.

Surgit Amor duro tumulata Morte sepulchro;
Ut novus è tenero Corde resurgat Amor.

Non uni sibi surgit Amor: quoque surgit Amatis:
Quos Immortales non Moriturus amat.

Inque suum trahit Ipse genus, quos Morte resurgens
Suscitat: inque Deos inserit Ipse Deus.

Ergo utinam surgente Deo mea vita resurgat:
Ergo ut Ego surgam, sit mea Vita Deus.

AMOR VIVIT PLAGATUS.

CCXXXXIII.

SUrgis Amor fulgore novo, nova imagine Vitæ:
Cui nova conspirat gaudia Corpus idem.

Uulnera prima micant, ac Te surgente resurgunt;
Queis nova lux, Vitæ spesque perennis inest.

Gratulor ipse Tibi: grates hilarisque rependo:
Quod mihi surgendi Gratia certa micet:

Scilicet hisce mori Plagis, Amor, oro cruentis;
Ut quoque in his dones surgere posse novis.

Uulnera quina mihi totidem sint Ostia Vitæ:
At mihi sit Lateris vulnus Amoris iter.

AMOR

AMOR PAX

CCXXXXIV.

E' Cœlo regione ſua Pax venit in Orbem;
  Quo tulit è Superis Ipſius Auctor Amor.

Pax Amor eſt, Paciſque dator, Qui a Morte reſurgit;
  Pacis Vita, Viæ Finis, & ipſa Quies.

Pacis amicus Amor; ſed non Amor omnis; at Ille
  Qui gaudet pleno jure ſubeſſe Deo.

Ergo ut Pace fruaris, Ama: ut potiare ſereno
  Æthere, Ama: ut ſerves fœdera Pacis, Ama.

AMOR ECCLESIA.

CCXXXXV.

EN Tibi do Claves Regni; ſi diligis ergo
  Me, Petre, paſce Agnos, paſcito Oveſque meas.

Pro Me Paſtor eris: Quæcumque ligaveris, atque
  Solveris hic humi; erunt vincta, ſoluta Polo.

Idque ſtude meminiſſe: meum Te propter Amorem
  Paſtorem fieri: hinc Paſtor Amoris eris.

Paſce Gregem Verbo, ac exemplo, paſce Sacriſque:
  Sic Paſtor Mei Eris, Paſtor & Orbis eris.

AMOR SEDES.
CCXXXXVI.

EX PROGRAMMATE:

Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.

ANAGRAMMA PURUM:

Cum Luther faciet vim Papæ, ecce Sedes Romana semper stabit.

CEu super immotam firmata Ecclesia Petram,
Stabit Voce Dei: Stabit Amoris ope:

Stabit mole sua, irasque Illam adversus inanes
Inferi, & Hæreseon ostia, & ora voment.

Stabit item hoc Templo Petri tutissima Sedes;
Unde est dicturus dogmata certa Deus.

Grex fœlix, quem docta Deo hac de Sede Magistro
Sponsa docet; cui se Spiritus afflat Amor.

Cum Luther faciet vim Papæ, ecce inclyta *Sedes*
Romana hac *semper stabit* Amoris ope.

AMOR CATHOLICI.
CCXXXXVII.

DIcta ab Amore magis credo, quam luce probata:
Sæpe oculi fallunt: fallere nescit Amor.

Mente videre Deum præstat, quam cernere visu:
Sin oculis videam, non erit ille Deus.

Res minime inspiciunt oculi: vix nempe colores
Rerum pertingunt; pictaque ficta vident.

Res veras videt una Fides, quæ credit Amori:
Qui nequit aut falli, aut fallere; nam Deus est.

Solaque Mens, & Amor bona vera videntque, tenentque:
Unde Deum illa loqui scimus? ab ore Petri.

AMOR

AMOR ROMA.

CCXXXXVIII.

ROMA & AMOR duo verba ſonant, ſed Nomen idipſum:
Verſus Amor ROMA eſt: verſaque Roma AMOR eſt.
Cur in idem recidunt AMOR, & ROMA ipſa viciſſim?
Nullibi quam ROMÆ plus AMOR altus ineſt?
Ethnica ROMA ruit: ſurgit nova ROMA Fidelis;
Quæ converſa Petri Voce, Dei fit AMOR.
Paſce, Amor inquit, Oves Petre, ſi Me diligis: ergo
Stat Petri Amore Gregis Caula, ſtat Aula Dei.
Stat ſita Voce Dei ſuper hanc Eccleſia Petram:
Stat Romana Petri fulta in Amore Fides.
Stat Romana Ædes divi compagine Amoris;
Quo Pater è Cœlo, Mater amatur Humi.
Stat ROMA Orbis AMOR, legum, morumque Magiſtra,
Terrigenum, ac Superum Curia, Ocellus, Amor.
Relligionis Opus, Fidei Arx, Pietatis Aſylum,
Chriſtiadumque Domus, Patria, Mater, Amor.
Roma Magiſterii Sedes afflantis Amoris:
Roma Miniſterii Pontificalis Apex.
Una Salus cunctis, qui Matris Amore tenentur:
Unica Roma Salus; qua ſine nulla Salus.
Qui negat adſcribi Materna hac Civis in Urbe,
Adſcribi Æterna Civis in Urbe negat.
Huic Ego conteſtor me Petræ hærere tenacem;
Meque Petri, ac Romæ velle in Amore mori.

AMOR APOSTOLI.

CCXXXXIX.

IN Cœlum redeo, inquit Amor: Vos ite per omnem
Terræ Orbem: ac Verbum ſpargite ubique meum.

Nomen ferte novum; Me dicite: juſſa docete:
Summaque Evangelii Lex ſit Amoris opus.

Auſpicio Triadis dociles intingite Gentes,
Fœcundis uno Flamine Amoris Aquis.

Ecce Ego Vobiſcum in Sæcli finem uſque manebo:
Sic Amor æterni pignus Amoris ero.

AMOR ASCENDIT.

CCL.

VIctor in Aſtra ſalit, Nece devicta, Orbe redempto,
Debellato Erebo, Victor in Aſtra ſalit.

Cœlum ſcandit Amor: qua ſcilicet indole latus
Tendit ad alta Ignis, pergit ad Aſtra & Amor.

Unde venit, redit altus Amor: Dextramque Paternam
Adſidet; ut Fratrum ſit Mediator Amor.

Nos vocat inde: monetque ſequi veſtigia: metam
Signat: namque ſui ſignat Amoris iter.

Heus igitur, nobis Ducem Amoris ad Aſtra ſequendum eſt;
Nec Via, Dux, Meta, hac dulcior eſſe poteſt.

AMOR

AMOR VIDUUS.

CCLI.

Malit Amor mala quæque pati; patiturque libenter:
Quin mala summa pati, gaudia summa putat.

In cunctis unum sentit; vix fertque dolorem:
Nempe ab Amore suo cum viduatur Amor.

Non ita Sponsa gemit dulci deserta Marito:
Non ita Flamma suo deperit orba rogo.

Unum Solamen superest viduo, arido, Amori:
Se se desertum velle pro Amore pati.

Optimus hic modus est reparandi rursus Amoris
Delicias: Amor has plus sibi egendo facit.

AMOR PENTECOSTES.

CCLII.

O Amor, o Paracletus Amor, Te nomine in isto
Dulcius imploro, quo magis ipse juver.

Namque omnis viduatus abit Solamine sensus,
Te Solatorem Mens, Animusque petit.

Idque petit, quo dissipiat solatia quæque,
Gaudia Delicio quæque minora tuo;

Quo curas animi, ambages solere, metusque:
Quo Paracletus opem des; Amor ipse veni.

AMOR SPIRITUS.

CCLIII.

O Amor alme veni: Te carmine sæpe vocavi:
Te modo corde voco: Teque tuo Ore voco.

O Amor alme veni: ut mea Te præcordia spirent;
Tu prior adspires in mea corda faces.

Esto Creator Amor, novi itemque Creator Amoris:
Utque novus sit Amor, Cor quoque funde novum.

O Amor alme veni: Igne tuo sata Corda perure:
Quo magis usta tuo vivere ab Igne queant.

Te sint, Te tua sint, Te plenaque, Te unice alantur:
Altera ne sint; Cor sis Amor ipse meum.

AMOR SEPTIFORMIS.

CCLIV.

FOns Pietatis Amor Septem pia Munera fundit:
Queis plenum in nobis det Pietatis opus.

Consilium, Robur, Sapientiam, itemque Timorem,
Scientiam, item Mentem donat, & esse Pium.

Nilque deest Menti, aut Cordi, quin possit Amorem
Scire, & Amare suum; ac exequi Amoris opus.

Ergo reddat Amor, quæ Septem Dona recepit:
Sit Septenus Amor, semper at Unus Amor.

AMOR

AMOR DIGITUS.

CCLV.

EST Manus omnipotens Deus: ipsa Trias Digitique:
Sæpius at Digitus dicitur unus Amor.

Cur Pater, ac Genitus non æquo Nomine gaudent?
Queis par Dextra valet, robur idemque potest?

Scilicet Hic Digitos, Medius velut, inter Utrosque
Mutuo Amore Unit, vimque Utriusque refert.

Hoc simul in Digito præstat Manus omnis Amante:
Hoc Pater, & Genitus cuncta in Amore gerunt.

Hic Amor in nobis quoq; POLLET, & INDICAT Unū,
Cui MEDIANDO unit nos ut Amora Manus.

AMOR NEXUS.

CCLVI.

VIncit Amor duo Corda ligamine fortius omni:
Arctius haud ferrum colla, manusque ligat.

Vinculo Amoris Amor trahit, inserit, unit idipsum;
Talia nec ferrum solvere vincla potest.

Usque Deo illa Hominem vincire propinquius audent:
Vivat ut ex Utro jugiter unus Amor.

Nullaque libertas melior datur hisce Catenis:
Utpote Amore datur liberiore frui.

Vitaque nulla valet melior; qua vivit eodem
Ipse Homo Amore, ipso vivit Amore Deus.

AMOR VENI.

CCLVII.

O Amor, ecquando noſtro dicetur Amori
Vox illa ex tanto tempore amata? Veni.

Dulce Veni, miſeræ quod ſolvat vincula Vitæ;
Atque immortales pandat ad Aſtra fores.

Dulce Veni, dic dulcis Amor ſemel eja: cito adſum:
Nunc ruo in amplexus; oſcula cara fero.

Dulce mori, ſi quando meo me jungat Amori:
Sitque mihi æternum vivere Amore mori.

Dulce mori, cui dulce Veni ſuccedat; & Unum
Unanimes faciat mutua Vita duos.

AMOR DIGNATIO.

CCLVIII.

ME redamare jubet Se, Qui me Primus amavit,
Ut redamaretur. Quis jubet? anne Deus?

Nunquid eo devenit Amor nullo indigus, Uno
Se ſatur, ut minimo concipi Amore petat?

Proh Amor, uſque adeo indignum dignaris Amorem
Quis redamare, iſto dignus honore, neget?

Proh dolor, optat Amor, nec amatur! mandat amari,
Spernitur: ah ſaltem velle me amare velim!

AMOR

AMOR CONTEMPLATUR.

CCLIX.

NEmo amat ignotum: ratio præcedit Amorem:
Mens Cordi objectum dictat, ut illud amet.

Inde Amor accenſus meditari attentius urget
Mentem; ut item objectum diligat ille magis.

Creſcit Amor Cordis quantum meditatio mentis
Creſcit: & augentur luxque, calorque pares.

Tandem ſummus Amor ſummo Mentem imbuit æſtu;
Quo meditari Amor eſt: ipſaque Mens fit Amor.

AMOR PROFECTUS.

CCLX.

EXcelſus Deus eſt: ſemperque aſcendere Amori
Eſt opus; excelſo ut proximet ora Deo.

Perque gradus aſcendit Amor: luit antea ſordes:
Poſtea ſe ſe ornat: jungitur inde Deo.

In Sponſæ morem, lacrymis prius abluit ora;
Flore ornatque caput; Sponſum ita aditque ſuum:

Errat ſi Maculoſa genas petat oſcula Sponſi:
Labra labris mundis non niſi præbet Amor.

AMOR AMPLEXUS.

CCLXI.

TU quid amas? reperire Deum? ne gaudia quæras:
Quære ubi degit Amor: quære ubi Amatque magis.

Nemo poteſt, mihi erede, Deum complecti adamatum,
Quin ſimul amplexus, qua manet Ille, Crucem.

Ligno affixus Amor nunquam deſcendit ab illo:
Nec niſi per Lignum fixus aditur Amor.

Macte animo, conſcende gradus, & brachia tende:
Utque Dei teneas membra, Crucemque tene:

Quos Deus, aut Homines, vel prava cupido, dolores
Conflarint, Ea ſunt, ſi tua membra ferant.

AMOR OSCULUM.

CCLXII.

OS habet, immo Os eſt Amor: Oſcula datq; petitq;
Oſculo initur Amor, perficiturque magis:
Firmat eo fidei ſua fœdera ſacra Sigillo:
Creditur id cordis certa Loquela ſui:
Hac via Amor ſpirat conceptas pectore flammas.
Hac in Dilectum tranſit Amantis Amor;
Hac velit inque Deum ſe ſe tranſmittere totum:
Oſcula & hæc Sponſi non niſi Sponſa petit.
Huc venit altus Amor; tranſitque per ora viciſſim:
Ex Homine, atque Deo ſugitur unus Amor.

AMOR INDIVIDUUS.

CCLXIII.

NOn Ego Te linquam, quamvis me liqueris Ipſe:
Sin Tu me linquas, Te ſequar ipſe magis.

At cur me linquas? abſit, niſi liquero primus:
Ne primus linquam, me prior Ipſe tene.

Me cuncti liquere Homines, vix vixque remanſi
Ipſe mihi; mecum vixque remanſit Amor.

Unus Amor maneat, ſatis eſt; Amor Unus Amicis
Pro cunctis Unus, qualis es, Unus eris.

Tandem cum pertæſa mei me vita relinquet:
Vita aderis melior: plus mihi ſtabis Amor.

AMOR OBLECTATIO.

CCLXIV.

QUid magis oblectet; quam Qui res condidit omnes,
Quæ nos oblectant? An minus Auctor habet?

Dulcia quæque ſuo magis alto in fonte ſaporant;
Quis neget in ſummo dulcia Fonte magis?

An Qui pulchra facit, cunctos dulcorat Amores,
Qui bona cuncta facit, non meliora capit?

Parce Amor, haud rivos curo, Primum exigo Fontem:
Sint ſua quæque ſuis; ſit mihi Fontis Amor.

AMOR LANGUOR.

CCLXV.

TAndem languet Amor nimia dulcedine fufus:
Dilapfifque fubit fenfibus alta quies.

At fopor ipfe Amor eft: quin languida membra fuperftes,
Ceu febris interior, dulcius ignis edit.

Se putat Ille mori; fed Vita fimillima morti,
Supplet ei melius vivere, nempe Deum.

Vivo Ego ait, jam non Ego: vivit enim in me Amor ipfe:
Ipfe Deus vivit: fit mea Vita Deus.

Hac melior, mihi crede, Salus languedine nulla eft,
Vitaque nulla magis vivida, Amore mori.

AMOR EXTASIS.

CCLXVI.

JAm nimio excedit fenfus Amor ebrius æftu,
Immenfas impar corde tenere faces.

Immemor Ipfe fui, fe fe neque fentit Amantem;
Namque amat extra fe: totaque Mens fit Amor.

O Sapiens fine luce calor, dementia fœlix!
Qua prope, qua citius difcitur ipfe Deus.

Quo magis exit Amor de fe, arctius hæret Amori;
Quo minus & fentit, plus fapit ille Deum.

AMOR

AMOR EXCESSUS.

CCLXVII.

MAgne Deus, quoque magnus Amor, ſine dicere verbũ:
Pro me Tu nimis es magnus, & altus Amor.

Obruis heu nimium me Majeſtate! onerique
Impar deficio vix Homo, cedo Deo.

Nec bene conveniunt Majeſtas, ac Amor: Ergo
Aut Minor eſto mihi, aut ſim Tibi major Ego:

Fallor: Amor tuus erga me grandeſcat; & erga
Eſſe tuum eſſe meum nil ſit: Amabo magis.

AMOR NON EXCESSUS.

CCLXVIII.

QUæque modum ſuum habet certo pro limite Virtus:
Si medium excedat, deficit in vitium.

Non ita grandis Amor, qui metæ neſcius arctæ,
Virtutem exceſſu provehit, haud minuit.

At quorſum excedat, quem non confinia ſiſtunt;
Immenſuſque ſibi eſt unica meta Deus?

Diſcimus hinc nullo Objectum ſine termino amandum;
Cui dum defficiam, totus Amabo nimis.

AMOR

AMOR CONFINIA.

CCLXIX.

JUſtus *Vive Deo*, Quo te non diligit Ullus
Sanctior: utque ab Eo juſtus ameris, Ama.

Liber Vive Deo; mortali ab amore ſolutus;
Ne te Homini vendas, quem Deus emit Amor.

Gratus Vive Deo: una Ejus te Gloria tangat;
Unus Amor ſit Honor: ſit nihil alter Honor.

Lætus Vive Deo: ne te infortunia turbent:
Non inimica premat ſors, nec amica trahat.

Solus Vive Deo Soli: ne plura ſequaris:
Omnia ne perdas: Cuncta ſit unus Amor.

Totus Vive Deo: ſint hæc Confinia Vitæ:
Crede, time, pare, da, cole, amato Deum.

AMOR HOSTIS.

CCLXX.

DIcitur hoſtis Amor, ſi quando tollat Amato
Vultus blandities, deliciaſque ſui.

Dicitur hoſtis Amor, ſi dona in vulnera vibret;
Sicca ſinatque diu labra ſitire Deum.

Creditur hoſtis Amor; quo plus amat Ille, ſavetque:
Quo minus oblectat, diligit Ille magis.

Se non odit Amor: nequit eſſe Amor hoſtis Amori:
Te non odit Amor, qui magis Hoſtis Amat.

AMOR

AMOR UULNERATOR.

CCLXXI.

Dic mihi, dulcis Amor; quid ſit genus iſtud amandi?
Tu crucias ſemper: diligo ſemper Ego.

Quo plus me crucias; Ego plus Te diligo: Teque,
Quo plus me crucias, debeo amare magis.

O mea Lux, & Amor meus! hæc utique optima amandi
Lex eſt: hac melior regula nulla datur.

Nil magis Ipſe probas mihi, quam meus Ultor, Amorem:
Nil magis ipſe probo, quam quod & ictus amem.

AMOR. VALIDIOR.

CCLXXII.

Huç tandem veni, petere hoc unum, unice Amorem:
Da mihi Amorem Amor; ac cœtera tolle tibi.

Hoc unum ſcio Te dignum eſſe, Tibique placere
Hoc unum è cunctis, meque decere ſcio.

Contineat Te propter Amor tria, deprecor, iſta:
Sit mihi FORTIS Amor, PURUS, & ALTUS Amor;

FORTIS in adverſis: Objecto PURUS in uno;
ALTIOR & cunctis, cœtera deſpiciat.

AMOR PERFECTUS.

CCLXXIII.

SCire petis, Perfectus Amor queis ſiſtat in actis?
Hæc tria Verba ſcias; optime Amare ſcies.

Unice Amor, quod ago, aut patior, meque offero totum;
Cunctaque do, quo Tu vis Tibi Amore dari:

Te læſiſſe diu, ſero agnoviſſe Te Amorem,
Non ita Te ſolum ſemper Amaſſe, dolet.

Vivere longævus cupiam Redamator Amoris:
Vivere & æternum: ne breve tempus Amem.

AMOR ALTITUDO.

CCLXXIV.

NAmque ſapis Tu ſolus Amor, quæ ſint mihi Amanti:
Utiliora, ut Amem; Te precor illa doce.

At quia non ſatis eſt ea noſſe; ſed illa neceſſe eſt
Poſſe, ac velle ſequi; fac, precor, illa ſequi.

Fac utar mediis cunctis, Fine ut fruar Uno;
Nolo frui mediis: ſed volo Fine frui.

Hæc media, hunc Finem, rogo, des, non fine fruendi:
Des ut amem Finem, qui ſit Amatus Amor.

AMOR

AMOR LATITUDO.

CCLXXV.

O Mea mens, & Amor meus, o Deus Omnia ſolus!
Non niſi Te reputo ; non niſi diligo Te.

Cœtera vana puto Mundi omnia, & optima Mundi,
Te ſine deſpicio; cœtera vana puto.

Tu Mare cunctorum, Tu Fons, Fluviuſque bonorum:
Tu mihi Principium, Semita, Meta, Quies.

Omnia Te propter, ſuper omnia, in omnibus Unum,
Diligo Te: Meus es Tu Omnis, & Unus Amor.

AMOR PLENITUDO.

CCLXXVI.

ILle Amor eſt Plenus; quo Mens ita tota repletur;
Ut niſi Dilectum cogitet eſſe ſuum.

Ille Amor eſt Plenus; quo tota afflata Voluntas,
Non niſi Dilecto ſemper ineſſe velit.

Ille Amor eſt Plenus, quem Cor f[illegible]erit: Uno
Ut gaudere Deo gaudia ſola putet.

Plenior hoc Amor eſſe nequit, quo Totus amatur
Verus Mente, Bonus Corde, Amor ipſe Deus.

AMOR

AMOR SATIS.

CCLXXVII.

ERgo, namque Homines ſumus, & Cor habemus, amandum eſt;
Quidne? bonum majus, parne, minuſne bonum?
Par quid habet Cor, non alio replebile corde?
Plus capere hoc aptum eſt, quam dare poſſe ſatis.
Corde minor res quæque alia eſt, minor Orbis & ipſe:
Quid ſupereſt Cordi? Majus amare bonum.
Majus Corde quid eſt? Deus unus: amandus is ergo
Unus; qui Cordi par ſatis eſſe queat.
Deh rogo, Major Amor, cunctorum Maxime Amorum;
Ne Cor inane ſinas, obrue; eriſque Satis.

AMOR TOTUS.

CCLXXVIII.

CUm mihi Te totum dederis, me vis quoque totum:
Ni dedero totum, ſuſcipis Ipſe nihil.
Utque habeas totum, mihi Cor tanta indole donas:
Ut ſuus in Te uno Fine quieſcat Amor.
Quid cupiam extra Te? quid amem ſine Te? quid adæquem
Par Tibi? num vacuo vivere corde queam?
Ergo quid ancipiti medius nil diligo Amore?
Ut quid amem, quo ſit vivere, Totus amem.

AMOR

AMOR UNIVERSUS.

CCLXXIX.

CUncta suum clamant Auctorem: Cuncta monentq;
Laudandum à Cunctis; ac, ut ametur, amant.

Cuncta, ut amemus, amant: licet ergo & amare vicissim
Cuncta, quibus mediis Primus ametur Amor.

Scilicet in Cunctis elucet Amoris imago;
Auctor ut in Cunctis Pictus Ametur Amor.

Quod nitet in Gemmis; viret Hortis; ardet in Astris;
Esto adamatum; Opifex ut sit amatus Amor.

AMOR SILENTIUM.

CCLXXX.

MUlta loqui solet altus Amor; sed plura silere:
Dona Dei loquitur; propria gesta silet.

Dona Dei gratus vulgat; sed plurima cautus
Dona silet; laudum ne sibi furta creet.

Quo tenet ora, Deum magis audit plura loquentem;
Corde magisque Deum, qui magis audit, amat.

O Amor, ut laudere Unus, mea cuncta silebo:
Da tamen hoc unum dicere posse: Te Amo.

AMOR PLAUSUS.

CCLXXXI.

PLaudit lætus Amor: quæ pectore concipit imo,
Parturit ore hilari gaudia lætus Amor.

Semper Amor lætus per fausta per improba semper,
Non nisi lætus Amor, non nisi læta canit.

Omnia læta sibi veniunt; qui cuncta ab Amore,
Seu bona, seu mala sint, ceu sua dona canit.

Vates plaudit Amor, siquidem se sentit amari:
Musaque Amor suus est: nec nisi carmen Amor.

AMOR QUIES.

CCLXXXII.

SI quid in Orbe foret dignis optabile votis;
Id foret unius Causa Quietis, Amor.

Heu tamen una Quies toto exul aberrat ab Orbe!
Quatenus è Terris exulat unus Amor.

Nec datur ulla quies; nisi vero detur Amori
Ante locus; sed ubi est dignus Amore locus?

Sit Locus ipse Deus, toto amplior, altior Orbe:
Me super huc volitem; quo Deus esto Quies.

AMOR

AMOR MOTUS.

CCLXXXIII.

EST Amor alta Quies; ſed non amat ocia ſegnis:
Eſt quoque motus Amor: quo requieſcit, agit.

Fons Amor eſt operum; bona ſunt quæcumque ab Amore
Proveniunt; ergo cuncta operetur Amor.

Cuncta operetur Amor ſoli placiturus Amori:
Ut placeat, placitus ſit Deus Unus Amor.

Sit Deus Unus Amor, qui cuncta operetur Amando:
Sit meus unus Amor; qui ſimul illa gerat.

AMOR ASSIDUUS.

CCLXXXIV.

HEu quot, Amor, Cauſæ revocant ab Amore diurno!
Hinc Labor, hinc Studium, Victus, & inde Sopor.

Quot remoræ inſiſtunt, mediantque interſitæ Amorem!
Nec redimi ullus Amor legibus hiſce poteſt.

O Utinam cura una foret, ſemperque id agendum!
Scilicet Unus Amor, prætereaque nihil.

Irrita vota: quid expedit ergo? Amor omnia ſunto:
Eſca, Sopor, Studium, ſit Labor, unus Amor.

AMOR SERUS.

CCLXXXV.

SEro amat omnis Homo æterno præventus Amore:
Semper quantus amet, ſero amat omnis Homo.

Unus Amor vigil eſt: Deus eſt prior unus Amator:
Ante Homines Deus eſt: ante Homines Amor eſt.

Vix fuimus ſine Amore Homines: quot amavimus annos
Viximus: at nullum viximus uſque diem.

O Amor! o vigilatus Amor! Te ſero adamavi.
Fac tamen, ut ſemper Te quoque ſerus amem.

AMOR ANXIUS.

CCLXXXVI.

ME Miſerum cum tantus Amem per carmina tanta,
Ambigo adhuc, an amem: neſcio adhuc, an amer!

Ambigo, an iſte meus ſit Amor, ſit larvane Amoris;
Ambigo, an iſte meus ſit redamatus Amor?

Neſcio, amaturus num ſim, dum vita manebit;
Neſcio, an æternus ſemper Amator ero?

Me miſerum! ecquis Amor dubium ſoletur Amorem?
Qui fuerit ſemper verus, & unus Amor.

AMOR

AMOR LABOR.

CCLXXXVII.

QUamplures dulcis delectat nomen Amoris:
Quos tamen invisum terret Amoris opus.

Non Amor hos ducit, neque honesti gloria Amoris:
At sibi mulcendi vana cupido trahit:

O Amor, absit iners Amor a me inimicus Amoris:
Sitque Laboris Amor noster, & ipse Labor.

Gaudia sint aliis: Ego Te, non gaudia posco:
Ac pati Amorem oro: non peto Amore frui.

AMOR PATI.

CCLXXXVIII.

MAgna quidem mea pœna est, o Amor, illaque multa:
Pœna tamen levis est, nullaque; cum Tua sit.

Pœna tua est, a Te missa, ipsa relata Tibique:
Pœna tua est Pœnis innumerata tuis.

Pœna minor, nullusque dolor fit amante dolore:
Quin Crucis immixta sorte dolor fit Amor.

Immensas minuit, pœnas dulcorat amaras:
Queis major pœnis esse probatur Amor.

AMOR SEVERUS.

CCLXXXIX.

HAud ſemper dulceſcit Amor: nec ſemper amœnus
Ridet Amor: mutat ſæpe in Amore$ vices.

Semper amāt; ſed ſæpe latet; quin ſæpe flagellat,
Quos amat; ut ſibi ſe comprobet inde magis.

Oſcula ſæpe negat; quandoque & vota repellit:
Sæpius angores mittit; ut addat opem.

Arida corda ſiti cruciat, mentemque tenebris;
Teque odiſſe putas, cum te amet Ille magis.

Cuncta hæc mittat Amor, bona ſunt, ea dummodo mittat:
Dummodo, ſi lateat, ne meus abſit Amor.

AMOR ÆQVALIS.

CCLXXXX.

GLoria tota mea eſto Deus, Teque unice Amare:
Eſto, Amor, una Tui Gloria, & una mei.

Velle unum commune Tibi, commune mihique,
Sit tuus unus Amor, ſit meus unus Amor.

Nolle tuum ſit nolle meum, ſit utrumque viciſſim
Impia nolle Tibi, turpia nolle mihi.

Quidquid agam, patiar, mediter, loquar, omnia ſunto
Gratia velle Tuum: Gloria velle meum.

AMOR

AMOR IDEM.

CCLXXXXI.

IDem ſemper Amor Deus eſt; ſemperque ſerenus;
 Quem ſors nulla movet; nullaque cura quatit.

Qualis Amor Divinus erit? qui ſemper eadem
 Fronte hilari alternas fert in Amore vices.

Scilicet illi Amor eſt, qui immobili adhæret Amori;
 Cujus ab intuitu ſemper & ora refert:

Ora ſerena refert nullis turbanda periclis,
 Idem conſorti Fronte ſerenus Amor.

AMOR ALTER.

CCLXXXXII.

VIvimus Igne Omnes; at plurimi ab igne perimus;
 Quos rogus imus edit: non Rogus altus alit.

Odit noſter Amor gratis, quod amare jubetur:
 Quodve odiſſe omni jure jubetur, amat.

Noſtrum extingue ignem, o Amor, Ignem accende Tuumque:
 Sitque cinis noſter, ſit Tuus Ignis Amor:

Cedat adulter Amor, cui conjux ignis Averni eſt:
 Ardeat e Cœlo, quem Deus unit, Amor.

Alter ignis pereat: Rogus Unus ubique triumphet:
 Sit cinis ille ignis: ſit cinis eſca Rogi.

AMOR HOMINUM.

CCLXXXXIII

HOc tandem disces; annis multisque probabis,
Esse Homines homines; atque Deum esse Deum.

Hoc tandem disces; nec te sententia fallet;
Esse Homines homines, veridicumque Deum.

Hoc disces tandem esse Deum, Verum, Unice Amorem,
Esse Homines homines, vel quid amore minus.

Hoc utinam citius discas, ne tempora perdas
Erga Homines Homo par, absque Homine, absq; Deo.

AMOR NON HOMINUM.

CCLXXXXIV.

O Amor, humanum ne me sine propter Amorem,
Lædere vel leviter Te, vel amare minus.

Nulla est perfidia, aut nulla est dementia major;
Ac Hominum sannas antetulisse Deo.

Ah vilis procul esto metus! procul esto prophanus
Vilis Amor, dempto nomine, nullus Amor!

Quis furor, aut odium mentes, & jura fefellit?
Verum odisse Bonum, futile amasse nihil.

AMOR

AMOR OPTIMUS.

CCLXXXV.

EST Amor ille BONUS, qui nullo displicet unquam
 Crimine Dilecto: Cuive placere studet.

Ille Amor est MELIOR, qui se, sua cunctaque Amori
 Cogitat, atque petit, dirigit, atque facit.

OPTIMUS ille Amor est, qui semper se unit Amato:
 Cui sua mens Amor est, corque, manusq; Amor est.

Si mihi non liceat gradum eo deducere: saltem
 Fac, Amor, in primo sistere posse gradu.

AMOR GRADATIM.

CCLXXXVI

NAmq; Ego Te indignus; rogo, saltem tolle, Amor, a me,
 Te nescire Bonum, vel Tibi velle malum.

Da saltem Te nosse Bonum, Tibi velle bonumque;
 Inde odisse malum, quod negat omne bonum.

Forte hinc surget Amor, quo concipiam bonum Amoris;
 Incipiamque Unum velle Te amare Bonum.

O Utinam huc veniat mea Mens, mea itemque Voluntas;
 Jam minus odero Te: jamque Te amabo magis.

AMOR INSTITUTIO.

CCLXXXVII.

NIl fueram, me fecit Amor: ſed cur? ut Amarem
  Deſieram: mihi cur Mortuus eſt? ut Amem.

Cur mentem æternam, eſſe cor immortale deditque?
  Cur ſtatuit Cœlos? nonne Ubi ſemper Amem.

Quid niſi ſemper amem tanto devictus Amore?
  Aut quid ero? antiquum nil, niſi ſemper Amem.

Omnia ſubſiſtunt fixum ſectantia finem;
  Ergo a me deſum, ſi mihi deſit Amor.

AMOR ÆNIGMA.

CCLXXXVIII.

ARdua res vero nulla eſt in Amore: ſed immo
  Unica difficilis res in Amore mora eſt.

Indole diligimus, genio, ingenioque docente:
  Atque opus hoc nullum dulcius eſſe poteſt.

Vim patimur ſine Amore, Omnes ſine Amore perimus:
  Nam ſine Corde unquam vivere Nemo poteſt.

Cur igitur vix a nobis Deus Unus amatur?
  Namque, Deo excepto, cœtera diligimus.

AMOR

AMOR NUNC.

CCLXXXIX.

MOrtales miseri heu morimur ! nec fœdera Vitæ
  Ulla manent: vix nunc, quo loquor ista, datur.

Jam plures abiere anni, nec amavimus annis
  Ullis; aut cunctis vix erit ullus Amor.

Proh miseros sine Amore mori! neque mors mala res est:
  Sed vixisse diu: sed sine Amore mori.

O Amor hanc vitam dele: hanc mortem, rogo, differ.
  Da momentum, ut Amem; fac in eo, ut Moriar.

Nunc nunc esse prius peto, nunc nunc aggredi Amorem;
  Nunc & amare prius: Nunc & amare Diu.

AMOR DIU.

CCC.

SI dederis mihi, Amor, vita uti posse diurna;
  Vita eris Ipse mihi: Teque adamabo Diu.

Si dederis breve tempus, vita adamabo brevique;
  Quidquid erit, totum vivere Amoris erit.

Cur dederis dubium tempus non quæro: sed æque
  Per breve per dubium tempus amabo satis.

Quaque die sat amabo, dies ceu summa veniret.
  Semper amabo uno Nunc; ita amabo Diu.

AMOR

AMOR PACTUM.

CCCI.

PArce Amor: heu quoties noſtrum Tibi ſpondeo Amorē;
Promiſſis toties deficioque meis.

Vix amo eo puncto, quo ſpondeo: vixque ſpopondi,
Fœderis immemorem me facit alter Amor.

Ecquis Amor tantum ſcelus audet? Ego ipſe doloſe
Me Tibi ſurripio: diligo meque magis.

O Amor, ecquando dictis hærebo fidelis?
Cum verax fuerit ſponſio, verus Amor.

Ergo me Amatorem nunc nunc Tibi ſpondeo verum:
Nunc Amo, nunc ſemper talis Amator amo.

AMOR PROPRIUS.

CCCII.

QUiſque amat eſſe ſuum: curatque diutius eſſe:
Curat & eſſe bonum; curat & omne bonum.

Quiſque ſibi bonus eſſe ſtudet: bonus eſſe Deoque
Rarus amat: verè vix Homo amatque Deum.

Omne bonum Uni velle Deo perfectio ſumma eſt:
Nolle Deo omne bonum ſed ſibi, grande nefas.

Ergo aut ceſſet Amor, qui ſit ſui avara cupido:
Aut ne ceſſet Amor, qui ſit Amicus Amor.

AMOR JACTURA.

CCCIII.

PErdimur heu miſeri! nec toto perdimur Orbe:
Vix vix in puncto perdimur, heu miſeri!

Omnia diligimus: ſed tandem cuncta negantur:
Et perit a cunctis pulſus inanis Amor.

Scilicet inſano pœna hæc debetur Amori:
Diligere hic melius debuit, atque minus.

Debuit in cunctis Unum non temnere Amorem:
Diligi & è cunctis debuit Unus Amor.

AMOR SIMULATIO.

CCCIV.

NOlle malum, par velle bonum, par æquat Amorem:
Iſto nullus Amor Sanctior eſſe poteſt.

Dilecto delicta ſuo ſub imagine Amoris
Adſtruere, haud Amor eſt: effera larva ſui eſt.

Haud Amor eſt faſtus, furor, ira, cupido, voluptas:
His diris obſtat; vel perit ictus Amor.

Taliaque odit Amor ſibi ludicra fœdera Amoris.
Ergo ut Ames, hoſtes oderis ante ſuos.

AMOR MORA.

CCCV.

CUr AMOR,atq;MORA esse queunt in litterâ idipsũ?
Cum res difficiles sint in Amore Moræ?

At quoque verus Amor Mora fit, nolitque, velitque:
Nec valet esse, Moram ni patiatur, Amor.

Ille Amor est major, qui tempora sera fatigat.
Spemque diuturnam ferre in Amore potest.

Fortis AMOR pœnas differre diutius audet;
Quo longa Verum se probet esse MORA.

AMOR CIRCUITUS.

CCCVI.

QUo magis Ipse me amas, me durius Ipse ferisque:
Quo magis Ipse feris me, magis ipse amo Te.

Hoc Nos circuitu insequimur, quo nescio fine:
An victurus Amor sit Tuus, anne meus?

Hanc litem dirimat Dolor ipse probator Amoris:
Qui sua vincat Amor vulnera, Major erit.

Uulnera vibrat Amor, toleratque Amor ipse vibrata.
Cujus Amor vincat? semper utrinque Tuus.

AMOR OPTIO.

CCCVII.

OPtio ſi detur, toto me deſeri ab Orbe
Maluerim, quam me deſerat unus Amor.

Quin Homines cunctos arma in me vertere malim:
Quam me vel leviter terreat hoſtis Amor.

Tartara item in me, conjurataque Sidera ferrem;
Quin mea proſcribat fędera pacis Amor.

Me mihi maluerim hoſtem; me a me deſeri amarem;
Quam meus eſſe meus deſinat Unus Amor.

AMOR QUAMDIU.

CCVIII.

QUamdiu amabo? inquis; vel quamdiu amare ſtudebo?
Nunquid perpetuum eſt iſtud Amoris opus?

Tandiu erit tibi amandus Amor, ſtudiumque id agendum;
Quamdiu Amatus eris: tamdiu Amator eris.

Sin te amet alter Amor, dicam, brevi amabis amore:
Sin Deus ipſe te amet, neſcio quamdiu ames.

Quamdiu erit Deus ipſe Deus, tui Amator eritque;
Quamdiu eris quoque Tu, ſemper Amator eris.

Num ſat amaſſe aliquando potes? jus creſcit amandi;
Quamdiu amatur Amor, qui magis Ipſe Te amat.

AMOR

AMOR OCCULTUS.

CCCIX.

Credo, Amo, non Video, quod Amo, quod Credo, quod Opto:
Hæc mihi pœnarum summa in Amore venit.

Cur se oculis subduxit Amor, dum mandat Amari?
An jubet invisum diligere, anne mori?

Quamdiu eris velatus Amor, vel sensibus absens?
Te meus ad faciem quando videbit Amor?

Longa mora est fera mors, vel non nisi morte levanda.
Ergo agesis pia Mors, qua retegatur Amor.

AMOR TRIPLEX.

CCCX.

Me Faber Orbis Amor triplici pro Fine creavit,
Utpote Principium, Finis, & omne Bonum.

Condidit, ut colerem supremum Numen; Eique
Parerem; totus diligeremque Deum.

Hæc tria si facerem, immortalia Dona spopondit:
Nempe Se in æternum Cernere, Amare, Frui.

O bone Amor, quis Ego? ut tanto me Fine beares?
Siccine Amatus Ego, tantus Amator ero?

AMOR INFORTUNIA

CCCXI.

QUisquis Amas e corde Deum, Tria firma teneto;
Queis tuus e vero corde probetur Amor.

Quæque tibi acciderint, noxæ, infortunia, damna,
Evenisse scias illa volente Deo.

Inde scias ab Amante Deo venisse tibi illa:
Namque Deus bonus est, namque tibi bonus est.

Tandem scito tuo missa infortunia lucro:
Ut bonus hisce malis ipse fruare bonis.

Cuncta placent, quæ corde pio donantur Amori;
At mala passus Amor, plus amat illa dari.

AMOR ACCEPTUS.

CCCXII.

EXtollit vel parva Animus munuscula grandis:
Sin Deus acceptet, maxima & illa facit.

Quid prohibet magnos animos? vultumque benignum
In Patre quis dubitet? quis neget esse Patrem?

Hinc licet immensas Dei opes dignoscere: Cui vix
Oblata augentur, divite capta Manu.

Ingentem quoque vim licet hinc agnoscere Amoris,
Qui nos vel modico in munere Grandis Amat.

Parva quidem Tibi dona fero; sed maxima spero,
O Amor: illa tuus si mihi ditet Amor.

AMOR TEPOR.

CCCXIII.

TOtus amare velim: at quo fato nescio; totus
Frigeo, quo puncto totus amare velim.

Sin tandem orsus amo; mox mox oblitus Amoris
Fit cœpisse dolor, qui fuit orsus Amor.

O Amor, unde mihi est tantá inconstantia sensus?
O Amor, unde mihi, dum volo, nolle venit?

Viribus an quia fido meis? an amo mei amorem?
Da, rogo, Tu, quod Amem, quove Te Amare velim.

AMOR DURITIES.

CCCXIV.

NOn opus est, ut ames, Terras, aut Æquora adiri:
Haud opus est a te fortia, magna geri.

Vix opus est, Homo sis, cor agas, Te nosse, Deumque:
Ni lapis, aut fera sis; jam satis aptus amas.

At nec amas: nec amare studes: sed amare perhorres:
Cur tibi rem facilem, vix bene posse facis?

Difficilem faciunt Tria: Te nescire, Deumque;
Corde carere; hominem nolle tibi esse tuum:

Dele, Amor, hoc nihilum Mentis: Cor dirue durum:
Fac Hominem: ac Hominum Nemo Te amare neget.

AMOR VANITAS.

CCCXV.

HEu heu Mortales morimur, quot nafcimur, omnes:
Pulchra Venus, Pallas docta, & opima Ceres,

Atque omnes moriuntur opes; perit ipfa cupido,
Sic laus, & faftus, fic perit omnis honor.

Ergone deficimus toti? ergone nulla fuperfunt?
Hæc Tria fola manent, Cor, Deus, unus Amor.

Quid juvat ergo Venus, quid faftus, opefque fuperbæ?
Ergo ea depereant: ergo fuperfit Amor.

AMOR DIVES.

CCCXVI.

OMnia ditat Amor, primoque fimillimus Auro
Aurea cuncta facit, quæ fibi jungit Amor.

Vilia quæque fuo radio pretiofus inaurat:
Quæve amat, illuftrat folis adinftar, Amor.

Res modicas, humilefque actus Amor imbuat altus;
Hoc incremento ditius Orbe valent.

Cur adeo pretiofus Amor? cur Omnia ditat?
Afpicit Ille Deum: refpiciturque Deo.

AMOR PURUS.

CCCXVII.

PUrus Amor Deus est, Purum Deus optat Amorem:
Ergo Purus Amans Purus ametur Amor.

Purus amandus Amor, Deus unicus unicè amandus:
Absque alio Deus est: absque alio esto & Amor.

Mens mea tota Deum solum velit unicè amare:
Velle meum totum est unicè amare Deum.

At nisi tale mihi studium foret, atque voluntas,
Ut sit talis Amor, fac, rogo, Pure Deus.

AMOR FAMULATUS.

CCCXVIII.

SEruum format Herus: morem ille assumit herilem:
Ambo gerunt animos dispari honore pares:

Magni Servus Heri quoque magnos induit ausus:
Demissos humili qui famulatur Hero.

O quales animi deceant Servum Omnipotentis!
Cui famulans, Regem est jussus amare suum.

Servus Heri mores, & Amores servet heriles:
Sin famulatus amet, serviet ille magis.

Servum namque suo Dominus dignatur Amore;
Se dignum obsequio reddat & ille suo.

AMOR

AMOR GRATIS.

CCCXIX.

DIvus Amor donat gratis: vix juſſus obedit
  Noſter Amor: num ſors mutua utrinque datur?

Nec ſua vendit Amor; nec emit ſua Munera: quamvis
  Dona dare & noſtro non ſine Amore velit.

Quin quoque noſter Amor venit ejus Munere Amoris;
  Nec ſine Amoris amat prævenientis ope;

Nec præventus amat, vel agit niſi Amore juvante:
  Nec facit altus Amor, ni quoque noſter agat.

Donat opem, quin donat opus, quin præmia doni
  Donat Amor: gratis nec redamatur Amor?

AMOR NON CAPTIVUS.

CCCXX.

REgnat liber Amor: vinclo nulloque tenetur:
  Captivus nulli ſubditur altus Amor.

Excutit affectus diros; ſolvitque catenas;
  Queis ſibi Mortales corda ligare ſolent.

Deſpicit & ſervire ſibi: vileſcere credit;
  Quominus Uni unus ſerviat ille Deo:

Hæc ſua libertas: Hominum cum ſubditur ulli;
  Subditur inde animo liberiore Deo.

AMOR LIBERTAS.

CCCXXI.

NOn bene pro toto Libertas venditur auro:
Sed bene pro ſolo venditur illa Deo.

Hanc tamen haud vendit; ſed comparat omnis Amator;
Qui dum ſervit, Amat: liber amatque Deum.

Liber amat, proprio qui non inſeruit Amori;
Nec ſervat Mundi dogmata, Liber amat.

Liber amat, qui Hominum ſervilem vincit Amorem:
Liber amat, qui ſe donat Amoris Hero.

AMOR VICTORIA.

CCCXXII.

PRoh bellum! duplici decertor Amore viciſſim:
Me trahit altus Amor: me trahit imus Amor.

Militat hinc Ratio: par militat inde Voluptas.
Cui palmam ancipiti neſcio marte feram.

Ambo in ſe ſe hoſtes vincunt, vincuntur, utrinque:
Semper at in noſtro vulnera corde manent.

Nunc me velle bonum: nunc me urget velle malumque:
Dum volo, vix valeo: vix volo, dum valeo.

Proh bellum! quis donet opem? quis prælia tollat?
Vincat, io, Ratio: Vincat ut Altus Amor.

AMOR PRÆMIUM.

CCCXXIII.

DIligit altus Amor nullo mercedis amore:
Scilicet eſt merces unica Amoris Amor.

At quæſita minus merces fit major Amoris:
Quam ſi plura velit præmia avarus Amor.

Eſt merces Amor ipſe ſibi: ſunt præmia Amoris
Gaudia, & eſt merces optima Pacis opus.

At merces completa, ſui eſt Finem aſſequi Amoris:
Ac tandem eſt merces Maxima Viſus Amor.

AMOR SPONSOR.

CCCXXIV.

VErax ipſe Deus ſpondet: vi ſpondet Amoris;
Ergo deceſſe nequit: velle deeſſe nequit.

Quæ ſpondet, majora tenet; majora daturus
Præmia Promiſſis, Munera digna Deo.

Sic dictis Stat Amor: quin prævenit illa Solutor:
Præmittit juges in breve Tempus opes.

Dat modo Pacti arrham: ſe prædem in Pignore tradit:
Major Amore dari Cautio nulla poteſt.

AMOR SPONSIO.

CCCXXV.

SÆpe vocatur Amor Sponſus: cui ſpondet? Amori:
Quid ſpondet? Nobis ſe, ſua ſpondet Amor.

Vix ubi promiſit, ſe gratis donat: idemque
Pignus Amoris Amor, Munus idemque ſui eſt.

Cuncta ſimul ſua ſpondet: at hæc non illico tradit
Omnia; plura modo; plura ſubinde dabit.

Quando dabit? nunc illa negat, ne tempore donet:
Æternum dare vult: ne breve tempus Amet.

AMOR THABOR.

CCCXXVI.

MOntem aſcendit Amor, celſumque imitatus Olympũ,
Indumenta Jugi prætulit, atque Poli.

Nix nive candidior, lux lumine clarior ipſo,
Ipſe manens, Alius viſus & Ipſe fuit.

Induit ore novo lucem; induit & nivem amictu:
Eſt Pietatis ea: hæc Integritatis opus:

Mutet Amor ſpeciem, lucemque, nivemque figuret:
Quævis forma tamen ſemper Amoris erit.

Talia prælufit Mortalibus Omina ocellis:
Ecquis erit pleno Lumine apertus Amor?

AMOR PARADISUS.

CCCXXVII.

Dissolvi cupio arcto hujus de carcere Vitæ:
  Ut cito adesse Deo detur, & ore frui.

O Patria, o Cives, veræ o Natalia Vitæ!
  Quando adero, ut Vitæ Patria Regna colam?

Quando adero Æterni æternus Concivis Amoris?
  Diceturque mihi: hic vive, age, semper Ama?

Non nisi amare tibi manet, æternumque manebit:
  Hic semper Vivas; ut quoque semper Ames.

AMOR URBS.

CCCXXVIII.

Constituere urbes Hominum commercia; Amorem
  Urbanum arceri sic rata posse feris.

Sic Hominumque Amor instituit Mores, & Amores:
  Ne vaga silvestris bruta sequatur Homo.

E Patria manavit Amor Civilis ab alta:
  Sic habitare facit Numina & Altus Amor.

Quid referunt Urbes nisi supremæ Urbis Amores?
  Quid Civi, nisi ea Urbs Patria amanda venit?

O Patria,, o Cœlum! (adde tuam cum videris Urbem)
  Quando Amor, ipse tua Civis in Urbe colam?

AMOR DOMUS.

CCCXXIX.

DUlcis Amor Patriæ: Domus eſt ſua dulcis Amori:
Cui ſit dulce die, ac nocte quiete frui.

Dulcior eſt Cordi Patriæ Domus intima Amoris;
Dulcis Amori ſit Cordis itemque Domus.

Quæ medio objicitur Soli Domus optima fulget:
Hac melior medio in Corde refulget Amor.

Hac utinam ſit in Æde quies; degam hoſpes Amoris!
Donec ab hac pateat Patria tota Domus.

AMOR AULA.

CCCXXX.

AUla paranda Deo ſit Amor, ſinus Aulaque Amoris;
Qualis concepit Virginis Aula Deum,

Crimine munda, Deo plena, Unius hoſpes Amoris:
Quale ſit Hoſpitium, ſit Thalamuſque magis.

Ne capiat ſimul unus utros, Hominemque, Deumque;
Namque thori Socium non habet Unus Amor:

Si comitem excipias, mox inde repellis Amorem:
Anne Hominem teneas, expedit, anne Deum?

Ergo tui cum ſolus ades Conclavis in Aula,
Dic; mihi ſit Sponſus, ſit Comes unus Amor.

AMOR

AMOR MENSA.

CCCXXXI.

SAnctus Amor conviva Deo Mensæ assidet ipsi,
Sive Solo maneat, seu maneatque Polo.

Nunc aliturque Fide: sunt fercula Gratia, Virtus:
Vinaque Sanguineus præbet amara Calix.

At Cœlis meliora manent alimenta: epulamur
Intuitu: Ipse datur Potus, & Esca Deus.

Nunc utinam sapiant ærumnæ, Gratia, Virtus:
Jugiter ut sapiat Gloria, Mensa, Deus.

Abdito alatur Amor quoque nunc, sed Numine eodem:
Clarius ut vel ibi semper alatur Amor.

AMOR NUTRITIO.

CCCXXXII.

VIvit Amor, nutritur Amor, quo pabulo? Amoris:
Se se vivit Amor: se quoque nutrit Amor.

Nec tamen omnis Amor quovis nutritur Amore:
Uno aliturque, suus qui Cibus esse potest.

Ecquis Amor Cibus esse potest nativus Amoris?
Non nisi verus Amor, jugis, & almus Amor.

Nutriat ergo sui Vitam Deus unus Amoris:
Hicque Deo, ut semper vivat, alatur Amor.

AMOR LAC.

CCCXXXIII.

LAc prior Infantum Vita eſt: Amor eſt Hominumq;
Vita prior: Vitam nutrit utrumque parem.

Lacte alimur dulci Materni ex ubere Amoris:
Vitaque prima ſimul fit Genitricis Amor.

Quin Pater ipſe Deus Lac puri infudit Amoris;
Quo vivenda Deo candida Vita foret.

Deh rogo, degeneri ne lac vitietur amore;
Lacte alat hoc ſemper me prior ipſe Pater.

Me modo lactet Amor, me Pane cibetque Minuto,
Paſturus reliquo plenius inde Deo.

AMOR MEL.

CCCXXXIV.

DUlcis Apum labor, ac ſtudium, Mel dicitur eſſe,
Dulce genus Floræ, dulcis Amoris opus.

Dulcis Amor, dulcedo Animi, dulciſſima Cordis
Ambroſia, innati venaque Mellis Amor,

Dulcia quæque tuo pereunt vicina ſapori;
Ori diſſipiunt cœtera quæque tuo.

Dulcis Amor, ſatis, oro, meas affunde medulas;
Sis mihi Mel, Nectar, ſis Apis, Hybla, Thymus.

Par Apum modo mellificem Virtutis in Hortis:
Ut partum ſapiam jugis Amoris opus.

AMOR PANIS

CCCXXXV.

Est labor, eſt ſudor Panis, quo vivimus hic nunc
Mortales; alimur Pane doloris adhuc.

Tandem Panis erit Vitæ, cum Vita perennis
Fulſerit; æterni Panis Amoris erit.

Pane ſuo ſaturabit Amor, ſe ſeque replebit;
Plenaque Mens, Cor, Eum donec amabit, edet.

Perpetuo ſaturata Fames augeſcet edendo:
Quo ſaturatus Amor, plus ſaturandus erit.

Quamdiu edet Mens plena Deo? Cor quamdiu amabit?
Donec Amatus, Amans, Viſus eritque Deus.

AMOR VIGOR.

CCCXXXVI.

Vivificat primum Panis; dein roborat artus:
Vivificat primum; roborat inde & Amor.

Roborat hic Pugiles Virtntis agone micantes:
Æthere Victores firmat itemque ſuos.

Viribus æternis adamantina pectora ſiſtit.
Æternumque in eo velle, valere, tenet.

O Amor ecquando ſtatues hoc robore pectus?
Ut niſi Te valeam, Te niſi amare velim.

Te modo crediderim firmus, videamque per ævum:
Hic modo amabo diu; Tunc ibi amabo ſatis.

AMOR

AMOR VINUM.

CCCXXXVII.

VIno gaudet Amor: læto fervetque lyæo;
  Ebria Mens nimio ſæpe latetque mero.

Vina ſpopondit Amor Cœleſti e germine Vitis;
  Hac ibi Convivis ebria corda facit.

Ebrietas fœlix, qua Mens ſapientior altum
  Lumen adit: qua Cor mergitur Igne, Deo,

Ebria Mens neſcit ſe ſe: unum noſcit Amorem
  Menſque uno hauſta Deo, vel Deus eſt, uel Amor.

AMOR HILARITAS.

CCCXXXVIII.

LÆtus Amor lætum quoque ſe ſe infundit Amanti;
  Qui ſe iterum læto in Fonte beatus amet.

Potatur jucundus Amor Deitate replente:
  Nemo poteſt hauſto lætior eſſe Deo.

Plene hilaratur Amans, qui plene ſentit amâri;
  Ac ſatis immenſum ſentit amare Bonum.

Non niſi lætus Amor, qui tanto eſt lætus Amore:
  Qui primum æterni pignus Amoris habet.

AMOR SAPIENS.

CCCXXXIX.

EST Sapiens Amor: ecquid Amor sapit? omnia amandi
Munera; scitque modos; scit bona; scit quod amat.

Est Sapiens Amor: ecquis Eo sapientior unquam?
Principium, ac Finem qui scit, amatque suum.

Doctior hac nulla est Sapientia, Scientia nulla est:
Huic studeat satis est: hanc Sapiens Amor est.

Cœtera si sapias, nec ames, quid cœtera prosunt?
Ni sapias id, quod semper amare opus est.

AMOR THALAMUS.

CCCXL.

GAudia quæ superant captum, suntque intima Amoris,
Haud magis ac Thalamo significanda forent.

Sponsus Amor Deus est: Animis se se afflat amatis:
Utpote Conjugium sit Deus unus Amor.

Oscula, delicias, charites Utrius Amantis,
Cordis Fonte frui, Qui facit, Ipse sciat.

Quæ Thalami Soboles? Utrius nova semina Amoris;
Unde novus paritur, semper & Unus Amor.

Oh tantum mihi delicium si detur inire!
Vix Cor ero, sed Amor; metaque Amoris ero.

AMOR

AMOR SOLATIUM.

CCCXXXXI.

OMnis Amor Solamen amat, Solamen Amoris:
 Sed Solatorem non habet omnis Amor.

Quærit Homo ſolari hujus per gaudia Vitæ,
 Per famam, per opes, deliciaſque ſuas.

Perque Homines ſibi ſperat Homo ſolatia; ſed quæ
 Nec ſibi habent Homines, alteri an illa dabunt?

Quamdiu aberrat Homo a Deo, iter ſolaminis errat;
 Vis iter? arce Hominũm gaudia, adito Deum.

Quo citius capis id; citius ſolabere: ſolus
 Sit tibi Solator, qui bene Solus Amat.

AMOR VISIO.

CCCXXXXII.

VIſio num, vel Amor Superos beet altius, anceps
 Lis agitur: cauſam ſed ſibi cenſet Amor.

Eſt Paradiſus Amor: quis enim Deitate potitur
 Arctius, ut qui ſit jus Deitatis? Amor.

Quid magis in Terris Divo ſervivit Amori,
 Promeruitque Deum) Menſne? Fideſne? an Amor?

Quidve magis gaudere facit? num cernere Amatum?
 An magis ampleċti? an mutua & oſcla dari?

Ergo Deum videam, oro, ut amem: via ſitque ad Amorem
 Viſio; meta eſto, jus, Paradiſus, Amor.

AMOR

AMOR MUTATIO.

CCCXLIII.

AFfectus immutat Amor; quos Unus in unum
Conflat; ut e cunctis vivat; & unus Amet.

Virtus quæque suo sibi vivit, agitque calore;
Attamen Igne illo, ut perficiatur, eget.

Hoc habet omnis Amans: in Amorem transit Amatum,
Plus in Eo vivit; quam sibi vivat Amans.

Traducit moresque suos; ac vestit Amatum
Ingenium, genium, more, animoque pari.

Moribus hisce Deum vivunt Polo Amoris Alumni:
Tu quoque more pari dilige, vive Deum.

AMOR NON VISIO.

CCCXLIV.

PArce Amor: ecquid amem, quod numquam lumine vidi?
Te nunquam vidi: parce Amor, ecquid amem?

Ignoro anne ita sis, qui diceris esse Venustus:
Te qualem ignoro: parce Amor, ecquid amem?

Me, Teque ignoro: mali id est totius origo:
Vix oculis fido: vix amo meque mihi.

Nunquid, & ignorem Mentem mihi inesse, & Amorem?
Hæc scio, nam probo: an es Tu mea Mens, & Amor?

Num modo, quæ scribo, me nosse, ac velle negabo?
En mea Mens, & Amans: en tua Lux, & Amor.

AMOR

AMOR PRÆSENS.

CCCXLV.

EST Deus in Nobis; Nosque imbuit intimus: omnes
Occupat Ille artus: imbibit Ille fibras.

Quid magis optat Amor? chari præsentiam Amoris:
Quo sibi Amatus adest, plus & Amator inest.

Quid magis optat Amans? frui Amato semper: Amorem,
Utque fruatur, amat semper inire magis.

Ergo procul reliqui; procul audete extimi Amores:
Ecquis adest propior, totus inestque? Deus.

Plus Amor hic semper situs est mihi, quam mihi Ego ipse;
Ergo mihi quis Amor Major inesse potest?

AMOR IMMENSUS.

CCCXLVI

QUoquo vertar Ego, invenio prope, & intime, ubique,
Quem mea Mens quærit; Quem meus ardet Amor.

Ejus Nemo potest claris obtutibus abdi:
Nullibi Amore potest quispiam abesse suo.

Undique, ubique, intus, Cœlo, Terraque, Marique
Inspicit omnia Amor: diligit omnia Amor.

Cur Ego non videam Inspectorem Cuncta videntem?
Cur Ego Amatorem non amem ubique meum?

AMOR PRÆSENTIOR.

CCCXLVII.

DIc mihi dulcis Amor, dic unde fit? omnia reples
Majeſtate tua, Numine, & Igne tuo:
Cur mea non itidem immenſo præcordia reples
Numine, & Igne tuo? cur mea corda vacant?
Heu cor Te caret uno! Equidem tenet alta Poteſtas,
Cor tenet & Numen; non tenet Ignis item.
Ah ſi Te pietas, Te majeſtaſque ſuadet!
Ah mea, nam Deus es, pectora Plenus ini.

AMOR EFFICIENS.

CCCXLVIII.

O Utiam mihi detur, Amor, Tibi ſemper adeſſe;
Sicut ubique prior Tu mihi ſemper ades.
Hac melior via nulla datur veniendi ad Amorem;
Arctius hoc nullum jus in Amore datur:
Nil magis hac Facie omne ſcelus luit, eminus arcet:
Numine præſenti quis velit eſſe malus?
Cujus erit pro corde ſilex in pectore, qui non
Excitus eliciat tam prope ab Igne facem?
Namque mihi magis intus ades, minus ipſe metipſi;
Me magis ipſe Tuus, quam meus urat Amor.

AMOR ÆTERNUS.

CCCXII.

EST Amor Æternus, quia Verus, Vivus, & Unus:
Eſt Amor Æternus, quatenus Ipſe Deus.

Non erat Orbis: Homo nondum vivebat Amandus:
Tunc tamen ejus erat ſemper Amator Amor.

At quis Amor? Deus ipſe, meus Pater, Auctor, Amator;
Qui fuit ante mei, quam meus Auctor, Amans.

O Amor, æterno necdum contentus Amore!
Quando erit æternum Te redamare ſatis?

AMOR COÆVUS.

CCCL.

O Amor, æterno ſi quando deputer Orco;
Nunc amo pro tunc; nunc ſemper amaſſe velim.

Ah ſi fictus Amor meus eſt, fac, obſecro, verum:
Verum velle peto: verè & amare peto:

Hanc dedimus Muſam, ut ſi forte voremur Averno;
Vix ubi blaſphemo dicitur ore Deus,

Pro me ſemper amet Quis noſtro in Carmine Amorem;
Noſtra hac voce Deum jugiter Alter amet.

Lector amice, precor ne dedignere Libellum:
Hunc lege, ut ipſe Deum, me ſine, ſemper ames.

AMOR

AMOR INFINITUS.

CCCLI.

INfinitus Amor Deus, eſt quoque Finis Amoris ;
Sed ſine fine, Deus, Finis, amandus Amor.
Principium, Finemque uno concludit in ictu;
Qui tamen immenſi pondus Amoris habet,
Qui ſine principio Nos erga cœpit Amorem;
Ac ſine fine id agit ſemper Amoris opus.
Eſſe Deus quo cœpit, Amor quoque cœpit ineſſe:
Quin Neuter cœpit, Qui modo ſemper amat.
Non ita noſter Amor : certo undique limite privus,
Vix in momento, quo male cœpit, amat.
Oh ſaltem ſine fine meus mihi duret Amator!
Infiniti adero ſemper Amantis Amans.

AMOR NON FINIENDUS.

CCCLII.

QUo tandem, mi tendis Amor? quis Finis amandi?
Quando mihi dices? Siſte Amor hic; ſatis eſt.
Quælibet Ars jam complet opus ; jam ceſſat ab Arte:
Num conſummet Opus; num quoque ceſſet Amor?
Non Amor eſt, qui finit : Ei ſtat certa facultas,
Ne ſatis, aut unquam conficiatur Amor.
Reſtat amare diu: ſemperque diutius extat
Finis amandus, eo quo ſine fine manet.
Par Animo hæc Vita eſt: hac toto vivitur Ævo:
Hanc utinam incipiam, qua ſine fine fruar.

AMOR PROVIDUS.

CCCLIII.

PRimus Amor non verba facit: Verbo omnia fecit:
Partaque perpetuo servat Amore pari.

Quæ fecit, statuitque, pari ratione coercet:
Finibus, officiis cuncta refertque suis.

Vix me fecit Amor, medium, finemque in Amorem
Fixit; ut Unus Amor providus Ordo foret.

O Amor, o grates Tibi sint pro Munere tanto:
Fac tua me tandem provida jussa sequi.

Fecisti mihi cuncta; ut me Tibi cuncta referrent.
Sint ea Amoris Opus: Sis Amor ipse Scopus.

AMOR COMMUNIO.

CCCLIV.

JAmque Ego totus Amor Tibi soli factus Amori,
Nil mihi sum, nec amo: nam Tibi factus amo.

Tu quoque totus Amor mihi toti factus Amori,
Es mihi Vita, & Amor: nam mihi factus Amas.

Ut vivam Tibi, totus amo: ut mihi Tu quoque vivas,
Totus amas; & Amor totus utrinque sumus.

Differimus tamen: Ipse meum hauris Unus Amorem:
Vix Ego libo tuum: ac est Uter ipse Tuus.

AMOR

AMOR SANCTITAS.

CCCLV.

OMnia quæ bona ſunt, Tua ſunt, Amor optime Amorũ;
At melior cunctis es mihi Sanctus Amor.

Cœtera mirari ſatis eſt: hoc aſſequi oportet.
Nil decet utilius, nil magis eſſe meum eſt.

Sanctior hoc titulo morum mihi Forma refulges:
Te meus hoc titulo plus imitatur Amor.

Hoc, precor, Exemplo me fac accedere Amori.
Diligere haud volo Te, ni quoque Sanctus Amem.

AMOR MISERICORDIA.

CCCLVI.

INnumeras inter Virtus Te bina coronat,
O Amor, una Amor eſt: altera Juſtitia eſt.

Utraque Te decorat: parilemque meretur honorem:
Utraque enim Deus eſt, dignaque laude pari.

Gloria Cœlicolum laudes extollit Amoris,
Æque ac Juſtitiam Tartara glorificant.

Deh Amor, oro, tuos Cœlo potius canam honores!
Deh potius Terris Juſtitiamque canam!

Hic precor, ure, hic me ſeca; ut æternum mihi parcat
Urat Amor Judex; ne ſurat Hoſtis Amor.

AMOR MAGNITUDO.

CCCLVII.

O Res magna Deus! rerum o Rex magnus, Herusque!
Sed Pater o magnus! sed quoque magnus Amor!

Proh quam Magnanimum, tanto qui servit Amori,
Quin & Amatorem quam decet esse pium!

Vilia quæque putet, se seque indigna: ea quæ sunt
Inferiora Deo, seque minora putet.

Sin quoque Servus Heri, Patris Satus audit Amantis,
Nonne animos Generi debet inire pares?

Magnus Amor quoque magna facit decora alta Tonantis:
Magna Tibi faciat cœtera Magnus Amor.

AMOR VOLUNTAS.

CCCLVIII.

OH si magnanimis votis foret æqua facultas!
Oh si velle meum vim quoque posse daret!

Haud jam Te sterili, velut amodo, carmine amarem:
Haud canerem: facerem Carmen Amoris opus.

Plura quidem volo, non valeo: vix illa locutus
Prætereo: esse satis vix voluisse ratus.

O Amor, hoc saltem velle aspice, & accipe votum.
Si videas, Amor est: si teneas, Opus est.

AMOR

AMOR DEVIUS.

CCCLIX.

NOs duo præpediunt, ne verum adeamus Amorem:
Mens ignara boni, credula mensque mali.

Lux Deus est certissima: tuto oculoque tenenda:
Offusa, aut dubia mente fugitque capi.

Sin capiat mens; mox animus ceu turbine jactus
Fluctuat: unde minus credit, amatque minus.

Deh Amor invicta da credere mente; animumque
Vincere: ut imperiis cor moderere tuis.

AMOR ELECTIO.

CCCLX.

NUnc Amo: idemque opus incipio; quod Amore perenni
Perficiam, aspecto cum fruar ore Deo.

Nil minus hic teneo, minus etsi cernere detur:
Hic amo, quem Cœlo semper amabo Deum.

Ergo quid superest, ut opus repleatur Amoris?
Ut videam, quod amo: quodve videndo fruar.

Utile Amantis id est munus, non utile Amato:
Ergo age, ama hic, vel ibi: dummodo ametur Amor.

AMOR QUERELÆ.

CCCLXI.

SÆpe queri soleo; quod Amor, me sæpe reliquit:
Sæpe queri solet hic ipse relictus Amor.

O Amor, unde Tibi questus? mihi sunto Te amanti
Proh quantum! at quantum Te sine solus amo!

Quid queror insipiens? Sine Te quid, quomodo, amarem?
Ni prior ipse abeam, non abes Ipse prior?

Sed quid abes, vel amarus ades, dulcisque recedis?
Namque amo Te dulcem; non amo Teque Deum.

N [illegible] mor iste Tuus; meus est Amor iste: relinquat
[illegible] mihi dulcis Amor: dulce aderitque Tuus.

AMOR ONUS.

CCCLXII.

O Amor, ecquid agam, ut verum contester Amorem?
Dico semper: AMOR: vix semel utor; AMO.

Heu nimis experior me a Te verissime amari:
Hinc mihi majoris crescit Amoris onus.

Vix remanet mihi velle sequi, quod debeo: at ipsum
Velle tui evadit non mei Amoris opus.

Ecquid agam? augeri hoc ipsum mihi velle rogabo;
Quo meus incipiat munus Amoris Amor.

AMOR

AMOR PLECTRUM.

CCCLXIII.

CUr unus laudatur Amor? cur Carmine noſtro
  Non niſi amatur Amor? dicitur Unus Amor?

Cur Virtus quæcumque Uni defertur Amori?
  Cur Rex Virtutum, cur Deus Unus Amor?

Scilicet Illius prima eſt Deus Unus origo:
  Unice item Fonti redditur Ille Deo.

Res referunt; Virtuſque Deum trahit omnis ad Unum;
  Noſque Unum eſſe Deo perficit Unus Amor.

Unus Amor propius ſibi captat, & aptat Amorem;
  Hinc magis in Carmen provocat Unus Amor.

AMOR MORS.

CCCLXIV.

SPonſus Amor nupſit Morti: Mors nupſit Amori:
  Seque immortali vinculo Amoris amant.

Languet Amor ſimilis Morti: Mors languet Amoris
  Inſtar; & Ambo magis, quo Moriuntur, Amant.

Quin magis & vivunt, dum ſic Moriuntur utrinque;
  Nec Mors, aut Vita hac dulcior eſſe poteſt.

Scilicet Ambo ſibi Moriuntur; ut Alteri Amori
  Mors, & Amor vivant, ſed ſine Morte, Deo.

AMOR

AMOR JUDEX.

CCCLXV.

SPretus Amor Judex evasit, Amore relicto;
Ut contemptores puniat ultor Amor.

Judicat æquus Amor, suprema luce dierum:
Ignoratus Amans noscitur alter Amor.

Exprobrat Ille Reis neglecti crimina Amoris:
Lectaque Judicii est summa negatus Amor.

Damnat Amor vindex torquendos igne cruento;
Igne calere suo qui renuere prius.

At donis magis aptus Amor, sui Amoris Alumnos
Munerat, unius cognita Amoris ope.

AMOR VENIA.

CCCLXVI.

MAgne Deus, Rex Omnipotens, Æquissime Judex,
Te timeo: his titulis terque timere velim.

At quoniam es Pater ipse prius, quam sis mihi Judex,
Es Pietas, es Amor, cogor amare prius.

Nescio quo jure, aut quanam indole, sæpe timorem
Victor Amor minuit; sæpe timere timet.

Dumque timere velim, Patris memor, ecce Amo Patrem.
O Amor, esto Timor; sed Timor esto Patris.

AMOR ESURIENTES.

CCCLXVII.

ERgo esurit, ceu Pauper Amor saturandus Amore?
Ergo Amor in saturo Paupere it ipse satur?

O bona sors Inopum misera sub imagine Amorem
Induere; atque Dei dona referre loco!

O Pietatis honos! quæ pane ut pavit Egenos;
Usque Deum pastum fragmine panis habet.

Hanc manet alta Patris Benedictio; Dextraque Amoris
Pane probata Dei est: Pane emiturque Deus.

AMOR SITIENTES.

CCCLXVIII.

JAmque sitit saturatus Amor: quis potus Amoris
Par siti inexhaustæ? frigida an unda satis?

Vix ab Amore calix cuivis prece detur Amoris,
Tota sitibundi est Numinis hausta sitis.

Ergone Diva sitis modico est explenda liquore?
Haud latice, epota est Fontis Amore sitis.

Ergone aquæ scyphus æterno est Munere dignus?
Absit: dignus Amor, Munera Dantis Amor.

AMOR

AMOR INDUMENTA.

CCCLXIX.

NUdus eram, Qui flore Solum, Qui ſidere Cœlum
Indui: & algebam nudus, Ego, Ignis, Amor.

Me veſter contexit Amor: mea Membraque veſter
Fovit Amor: quanto Munere dignus Amor!

Vos quoque adeſte, mei vos ornet Purpura Regni:
Vos meus æterno Flamine adurat Amor.

Vos foveat Pater ipſe ſinu: ſemperque fovebo
Vos Amor ipſe: Trias totaque Amictus erit.

AMOR HOSPITES.

CCCLXX.

HOſpes eram: me veſtra Domus, pietaſque recepit
Hoſpitio: excipiat Vos quoque noſtra Domus;

Non tamen hoſpitio: Domus eſt manſura Colonis:
Quamdiu Herus vivet; ſtabit itemque Domus.

Optima eritque Domus; quæ propria, eritque Paterna:
Quiſque renatus ibi non moriturus aget.

Hic ubi dulcis Herus Convivis eſt Amor, Hoſpes,
Menſa, cibus, requies, cuncta, Herus unus Amor.

O Amor, o jucunda Domus! vagus, exul, & hoſpes
Quamdiu aberro Domo! Quando ibi ſoſpes ero?

AMOR

AMOR INFIRMI.

CCCLXXI.

ÆGros visit Amor: verbis solatur amicis:
Recreat aspectu, plus prece, plus & ope.

Lumina acuta gerit: quæ non spectantur in Ægris
Plura videt: specimen cernit in hisce Dei.

Quæ tulit altus Amor, pius inspicit ipse; doletque
Uulnera, & angores; quos facit esse suos.

Condolet inde magis: munus recipitque dolorum:
Solatusque Deum, gaudet & Ipse Deo.

AMOR CARCERES.

CCCLXXII.

CArcere vinctus eram: vos Me invisistis Amici:
Oris Meque, æris Meque levastis ope:

Tale Reis licet impensum, Mihi præstitum eidem
Censui Amoris opus; quatenus egit Amor.

Nunc decet æqua meis Vos dona referre vicissim:
Vosque decet Cœlo liberiore frui.

Nostro igitur lateri Proceres, Me liberi, adeste:
Vestraque Libertas Ipse ero, donec ero.

AMOR DEFUNCTI.

CCCLXXVIII.

VIvus Amor vivos amat indole ductus Amicos:
Haud ſibi diſſimiles, ſi moriantur, amat.
Is tamen humani, non veri eſt horror Amoris:
Hic ultra interitum plus pietatis habet:
Non oculis ſed mente videt; creditque fidelis
Verus Amor Vitam, quam docet altus Amor:
Perpetuos Animos, ſcit, amat; fert, curat opemque:
Haud Moritur; ſed amat funera verus Amor:
Funera quæ cenſet melioris ſemina Vitæ:
Hanc potius Charos vivere curat Amor.

AMOR PRÆDESTINATIO.

CCCLXXIV.

PRoh timor! æternum momento ludimus Ævum:
Summum, Unum ambigimus per breve tempus Opus.
O Amor, ecquid erit tantæ in diſcrimine ſortis?
Væ Nobis mala ſors! omnia perdidimus.
Ergo rem tantam cuinam fidamus Amico?
Omnis enim eſt tanto pondere cura minor.
Es Pater ipſe, & Amor; Tibi ſtet res maxima Amori:
Hoc opus ergo Tibi fidimus ecce Patri.
Si quid item noſtris conflandum eſt viribus; unus
Verus Amor pariter certior eſto Salus.

AMOR INFERI.

CCCLXXV.

QUis credat? quoque Tartareis Amor emicat Umbris:
  Terque inibi, quamvis non redamatus, amat.
Quidquid fecit, amat: naturæ juraque servat:
  Quod Reus ipse sibi fecerit, odit Amor.
Punit, ut odit: adhuc miseret, dignumque furorem
  Temperat; ut feriat crimine pœna minor.
Blasphemant Manes: iterumque piacula tentant:
  Arcet Amor, plagis ne luat illa novis.
O Amor indigno minor usque impensus Averno;
  Parce, rogo, hic potius: ne me ibi Talis ames.

AMOR REGNUM CÆLORUM.

CCCLXXVI.

REgna paravit Amor primævi ab origine Mundi;
  Quæ tandem emeritus noster adiret Amor.
Rex Amor,& Regnum est: Regnantes sunt quot Amantes:
  At Regnare quid est? non nisi Amare Deum.
Tale igitur Regnum cur condito ab Orbe paratum est?
  Tunc nempe incœpit, cum quoque cœpit Amor.
Ergo quid petimus Cœlum, ut regnemus Amantes?
  Nos intra est Regnum; dummodo amemus, Humi est.

AMOR

AMOR IN AMORE.

CCCLXXVII.

RArus amat ſolo pulchræ Virtutis Amore;
Rarus & unius munere Amoris amat.
Quiſque manu molitus opus, quoque tollit ocellos,
Quo ſibi Mercedis dona venire cupit.
Gaudia quiſque ſibi ſperat, late unde fruatur:
Quin amat ipſe, ſuo ut poſſit Amore frui.
Hæc non odit Amor: quin mutua vota ſecundans
Perficit: illa ſuus dummodo cauſet Amor.
Conſequar, O utinam, bona, quæ mihi grata paraſti,
O Amor! hiſce fruar; quatenus illa facis.

AMOR COMPARATUS.

CCCLXXVIII.

MUltis non ſapit altus Amor; quod Amor ſapit Alter:
Alter Amor nimis eſt: diſſipit altus Amor.
O Amor infelix quid amas? an pulvis amatur?
Hinc Deus, hinc cinis eſt; cui tuus hæret Amor?
Arbitrium infelix dubio in diſcrimine caſſum!
Velle utrum, nihil eſt: optio quid minus eſt.
O mea Lux, huc ergo venit mens cœca; ut Amoris
Umbra æquata Deo par micet, immo magis?
Da precor, aut neutri, vel Amori fidere ſoli:
Da mihi Te; ni des: da ſine corde mori.

AMOR CONTENTUS.

CCCLXXIX.

O Amor, ecquid erit de Me? num ſemper amabo?
Hoſtis an ipſe tui ſemper Amoris ero?

Aut Polus, aut Erebus mihi ſtet; neutrum obſtet Amanti,
Quin magis ipſe brevi hoc tempore Amoris amem.

Sive frui des, ſive pati, Pius, Æquus; eodem
Corde, Te amabo diu, Te niſi ſemper amem.

Non Tua, non ſua quærit Amor: Te quærit Amorem:
Quamdiu amare queam; tamdiu amabo ſatis.

AMOR SUPER OMNIA.

CCCLXXX.

QUd ſit amare Deum ſuper Omnia: dico petenti:
Eſt Unum in cunctis Rebus amare Deum.

Eſt Unum è cunctis, præ cunctis Rebus amare:
Eſt Res per cunctas Unum adamare Deum.

Verius ut dicam: eſt verè Unum ſemper amare:
Pluraque per Media eſt Verus, & Unus Amor.

Ergo quid in plures Animum verſamus Amores:
Unus Amor Deus eſto: Omnia diligimus.

AMOR CONVICTOR.

CCCLXXXI.

VIxiſti æternum ſine me: quoque Plenus in ævum
Vixiſſes ſine me, nil minor Ipſe Tibi.

Quid Tibi contulerit minimi fax extima Amoris?
Me ſine Tu Deus es: Te ſine nil Ego ſum.

Ergo quid ſine me Te vivere nolle ſuaſit?
Quid ſine Amore mei haud vivere ſuaſit? Amor.

Cur Ego nolle queam Tecum quoque vivere? ſed quæ
Te ſine Vita foret, quid ſine Amore? mori.

Nolo mori; ſemperque volo convivere Amori.
Quamdiu eris mihi Amor, vivam, & Amator ero.

COMPENDIUM.

AMOR PRIMVS GRADVS.

CCCLXXXII.

Dolor.

PRimus Amor ſtudet innocuos deducere mores;
  Ut ſervet primas integritatis opes.

Sin has perdiderit; labeſque admiſerit atras;
  Has delet lacrymis; perque piacla luit.

Pœnitet ignoraſſe Deum: ſpreviſſe & Amantem:
  Seque dolere facit purus Amoris Amor.

Quantus amat, Tantusve dolet: velit ante reatum
  Se periiſſe ſibi, quam periiſſe Deo.

Cuncta prius mallet ſubiiſſe piacula Averni;
  Quam foret a tanto crimine læſus Amor.

Oh ſi tantus Amor tanti mihi cauſa doloris
  Afforet! inceptus quam ſatis eſſet Amor!

AMOR SECUNDUM GRADUS.

CCCLXXXIII.

Propositum.

HInc Amor ausurum se nunquam Crimina spondet :
Nec semel id satis est proposuisse sibi;

Sæpe iterum, atque iterum per singula puncta dierum
Sic animum firmat; cum meminitque, novat.

Jamque habitus fit nolle nefas; minuitque periclum:
Luctaque decrescit, quo stabilitur Amor.

O Amor, hæc semper mihi stet Te tuta voluntas!
Ut mihi stet ; mihi Tu stes, Amor ipse, prius.

AMOR TERTIUS GRADUS.

CCCLXXXIV.

Odium Venialium.

SEu grave, seu leve sit, nimis obstat Crimen Amori:
Hinc magis, inde minus læditur altus Amor.

Ferventem obtundit Venialis noxa calorem;
Quod ceu grande nefas fervidus horret Amor.

Mallet Amor mala quæque pati, mortemque subire;
Quam vel labe levi Numen amare minus.

Ergo probetur Amor: scelus oderit omne : & Amori
Ut velit omne bonum; ne leve Crimen amet.

AMOR QUARTUS GRADUS.

CCCLXXXV.

Affectuum Moderatio.

IN mala quæque trahit vis duplex, Ira, Voluptas
Fontibus his Hominum crimina cuncta fluunt.

Proprius unus Amor radices inserit ambas;
Quas resecare Pii est perpes Amoris opus.

Ergo age, fortis Amor, nedum delicta recidas:
Quin scelerum causas erue, vince duas;

Iras Mitis Amor, turpes quoque Castus Amores;
Has frange; hos caveas: semper at esto Pugil.

AMOR QUINTUS GRADUS.

CCCLXXXVI

Pœnas dare.

NE sibi verus Amor deleto crimine fidat;
Sit peccasse memor semper; ut inde fleat.

Perpes Amoris opus flere est; sua Vitaque fletus:
Vivit eo, quo flet: quo flet, amatque magis.

Quid gemitus juvat iste? luit pro Crimine pœnas:
Pro scelerum merito justa piacla subit.

Mitis Amor cunctis, sibi soli parcere nescit:
Sic Amor, ut sit Amor, sæviat, oro, meus.

AMOR SEXTUS GRADUS.

CCCLXXXVII.

Abdicatio.

RESpuit Orbe frui: nec humi dignatur honores;
Calce triumphali quos premit, odit Amor.

Abdicat affectus se seque, Deoque minores:
Quo purum soli cor paret ille Deo.

Diluit & rerum species e mente prophanas:
Atque sibi uni Unum cogitat esse Deum.

Aula paranda Deo est; nec Numine dignior illa:
Qua purus Mente, & Corde paratur Amor.

AMOR SEPTIMUS GRADUS.

CCCLXXXVIII.

Humilitas.

LAbibus ablutis Animum Virtutibus ornat:
Quo Dei ad amplexum progrediatur Amor.

Prima Fides, quam firmat item submissio Mentis;
Cognitioque sui; Cognitioque Dei.

Hinc oritur Mens suasa Deum Vere Unice Amandum;
Seque, ut ametur Amor verus, amare nihil.

Da me nosse nihil: mihi da Te nosse Deumque,
O Amor, ex odio plus ut amere mei.

AMOR

AMOR OCTAVUS GRADUS.

CCCLXXXIX

Obedientia.

PRonus obedit Amor: ſubdit ſe Hominique,Deoque:
Cauſaque parendi eſt unica Sanctus Amor.

Perque Hominem ſe audire Deum putat, ipſa Deique
Juſſa ſequi; humano Quem putat ore loqui.

Præterit examen mentis, quo cæca voluntas
Promptius imperio præſtet Amoris opus.

Nullus eget magis imperio ducis, ac Amor ipſe;
Ne veri abductus perdat Amoris iter.

O Amor, altus Amor, cujus ſtant omnia nutu,
Juſſor Amoris, Iter, Dux, Comes, eſto mei.

AMOR NONUS GRADUS.

CCCLXXXX.

Tolerantia.

ÆGre ferre docet Natura; ac ferre libenter
Gratia; lætanter ferre dat altus Amor.

Haud illum timor inficit: haud ſpes allicit ulla;
Quo patitur, fruitur; quo cruciatur, amat.

Huc deductus Amor, verax Amor eſſe probatur,
Non ſui amantis Amor; ſed Dei amatus Amor.

Fac Amor, ut cupiam ſaltem pati; amemque ferendo;
Ni fruar in pœnis, læter Amando pati.

AMOR DECIMVS GRADVS.

CCCLXXXXI.

Proximi.

NUllus Amor magis in Deum iter parat, atque pro. pinquat;
Quam Pius erga Homines, mutuus, arctus, Amor.

Namq; amat una eadem Virtus Hominemq; Deumque;
Qui nescit Fratrem, nescit amare Patrem.

Parturit omnis Amor, sterili haud contentus Amore:
Qui vere Fratrem diligit, addit opem.

Fitque probatus Amor, divique imitator Amoris:
Fac Amor, hoc Hominem semper amem; Te ut amem.

Unus Amor sit amare Hominem, sit amare Deumque:
Nullus enim, alteruter si mihi desit, erit.

AMOR VNDECIMVS GRADVS.

CCCLXXXXII.

Inimicorum.

PArcere mandat Amor: parcit prior hostibus Ipse:
Nec nisi parcatur, crimina parcit Amor.

Væ nisi parcat Amor! Cœlo nec amabitur unquam:
Infensusque Erebo jugiter Ultor erit.

Cur Ego non parcam? parcit Deus ipse libenter:
Quin offert veniam: quin veniamque rogat.

Ut mihi Tu parcas majora, Ego parco vicissim:
Meque ut Ames, veniam do; veniamque peto:

AMOR

AMOR DUODECIMUS GRADUS.

CCCLXXXXIII.

Per Opera Naturæ.

ASpice quæ Cœlo, Terraque, Marique Creator
Condidit: illa Opifex edidit unus Amor.

Gesta Opifex ostentat Amor, præclara daturus
Signa sui, ac nostri sensile Amoris Iter;

Perque Gradus totidem ut Solium alti adeatur Amoris:
Qui refugitque Gradus ire, sedere negat.

Aspice, scande, stupe, colito, gratesque referto:
Te Res cuncta docet: disce, ama, adito Deum.

AMOR DECIMUS TERTIUS GRADUS.

CCCLXXXXIV.

Per Mysteria Gratiæ.

QUem docuit Natura, docet quoque Gratia Amorem:
Illa docet rebus; sed docet ista Deo.

Munia plura Deus per se fecitque, tulitque,
Factus Homo, functus nostraque, passus Homo.

Amplius o quantum hæc Mysteria fantur Amorem!
Quo Sacriora latent, plus Pietatis habent.

Ergo per Ista magis Mens, Cor devicta trahantur;
Plus capiendus Amor, plus adeundus Amor.

AMOR

AMOR DECIMUS QUARTUS GRADUS.

CCCLXXXXV.

Per Attributa Gloriæ.

VIrtutes Deus ipſe facit, Deus ipſaque Virtus,
Nil magis ac per Eas noſcitur eſſe Deus.
Nec magis ac per Eas gradiens exardet Amator;
Nec magis excipitur, fit propiuſque Deus.
Sunt aliæ Res quæque Gradus; ſunt terminus Iſtæ:
Has contemplatur; non meditatur Amor.
O Deus, o Virtus Virtutum, immenſaque Virtus,
Fac, ut Eas imiter; Te quoque in his ut Amem.

AMOR DECIMUS QUINTUS GRADUS.

CCCLXXXXVI.

Conformitas.

QUid Deus ipſe ſciat, ſatis unquam ſcire nequimus:
Velle tamen quimus, quid Deus ipſe velit.
Hic eſt ſummus Amor, cui tendere poſſit Amator:
Sic velit omnis Amans; altius ire nequit.
Hoc ita Velle Vnum Superos facit eſſe beatos;
Hoc ſibi Velle Deum Terrigenaſque beat.
Omnibus in rebus Tua ſit, mea ſitque Voluntas:
Sitque beatus Amor, ſi velit Unus Amor.
Rebus in adverſis Mens æqua ſit, æqua ſecundis:
Sic Amor Unus ero; ſic Deus Unus Erit.

AMOR

AMOR VIX MORS.

CCCLXXXXVII.

NAſcimur, & morimur, medium nec vivimus ullum:
 Vivere nam dictum, non niſi juge mori eſt.

Naſcimur in mortem: vita huic eſt conſona fini;
 Scilicet aſſiduis obſita ſuppliciis.

Denique ad extremum fatorum heu ſemper acerbum
 Siſtimur; id pęnas terminat, ut cumulet.

Horrida, lurida, ſquallida, tetrica, terribilis Mors!
 Semper amara, pari cuique cavenda metu!

Macte animo, ſpes una manet: fel Mortis amaræ
 Una Medela ſatis temperat, Unus Amor.

Dulcis Amor dulcorat; idemque optabile fatum,
 Ceu Vitæ auſpicium, ac fœdus Amoris init.

Pellere viſne metum, Mortemque arcere peroſam?
 Cauſam arce: invitus ne moriaris, Ama.

AMOR JUDICIUM.

CCCLXXXXVIII.

JUdicium decrevit Amor pro Luce ſuprema:
Qua tandem & faciem Judicis aptet Amor.

In Cauſa ipſe Amor actus erit; totuſque reatus
Non adamaſſe Inopes objiciendus erit.

Proh Scelus indignum venia! toto Orbe theatro
Damnandum: æterno Supplicioque reum!

Haud poterat Lex ulla dari jucundior iſta;
Pœnaque nec major, quam ſine Amore pati.

Illo cuncta Die mihi crimina, præter Amorem,
O Amor incuſes, pro tuo Amore rogo.



AMOR UNUM SCIRE.

CCCLXXXIX.

O Utinam saperent, Qui plurima scire putantur!
Oh saperent inter plurima, quid sit Amor!

Cuncta putant se nosse: novam excudisse Sophiam;
Scilicet errores Qui reperere novos.

Heu Mens infelix, cui tam nescire studendum est!
Quam latet Unus Amor; scire pudetque Deum.

Unum scire juvat; Quod apertis claret ocellis:
Quod vix perlecto discitur Orbe, Deus.

Unum & amare juvat; Quod ab indole Cordis aditur;
Plura ignorentur: Cuncta sciantur, Amor.

AMOR VNVM VELLE.

CCCC.

HActenus hoc toto Te Carmine plura rogavi:
Nunc Unum è cunctis Te rogo, dulcis Amor.

Cœtera ne dones, ut id Unum plus mihi dones:
Cuncta nega, Donum ne mihi tale neges.

Laudes, delicias, vel opes haud postulo: Amorem
Imploro: hunc mihi da; cœtera tolle Tibi.

Sin & amare putem; sed Amor non sit mihi Verus;
Fac, ut Verus Amor sit meus, ac Tuus est.

Sin hoc velle me amare, foret non vera voluntas;
Fac, rogo, quod vere velle me amare velim.

O mea Mens, & Amor meus, o Deus Omnia Solus;
Id mihi Primus Amor, semper id esto Metrum.

AMOR

AMOR ULTIMA VOLUNTAS.

CCCCI.

SI mihi contingat ſubita vel morte perire:
Vel ſine voce mori: vel ſine mente mori:

Pro certo teneas, Quicumque hæc legeris; iſta
Vota fuiſſe mihi ſemper, & eſſe modo:

Una Fides vera eſt; quam totum Roma per Orbem
Prædicat: hanc tenui Vivus: in hac Moriar.

Pœnitet offendiſſe Deum, ſemperque dolebit:
Non Paradiſi ſpe, non Erebique metu:

At peccaſſe dolet ſummæ Bonitatis Amore;
Ac major dolor eſt pœnituiſſe minus.

Ergo rogo veniam Vivens, Morienſque rogabo:
Læſe Deus, veniam da modo, tunc iterum.

Quin petimus veniam, ſi quemquam læſimus; atque
Si fuimus læſi, parcimus ex animo.

Quiſque, itidem petimus, noſtris pro Manibus oret;
Noſtra ut Vivorum ſit Regione quies:

Illa, inquam, Regione, Deus qua ſemper Amatur:
Qua mihi erit, ſpero, ſemper amandus Amor.

AMOR

AMOR POSTHUMUS.

CCCCII.

IMmortalis Amor, quo vivunt Omnia, Vitæ
Auctor, perpetuo Vivit & Ipse prius.

Sin Homines morimur cuncti vel Amoris Amantes,
Post mea fata meus quomodo vivat Amor?

Vivit Amor, meliusque Hominum post funera vivit:
Quin facit, ut vivant, quomodo vivit Amor;

Quomodo & Ipse Deus vivit, viva Indole Amoris:
Semper &, a nobis ut redametur, Amat.

Ergo Æternus Amor nulli est moriturus Amanti:
Nec mihi, dum moriar, commorietur Amor.

Vive, age, semper Amor: peream in Te: semper Amabo;
Posthumus aut nostro in Carmine Vivat Amor.

AMOR LECTOR.

CCCCIII.

PRo modulo nonnulla meo pia Opuſcula cudi:
Sed PIUS eſt, calami Cor, MODULATUS AMOR.

Hanc dedimus Muſam; ut ſi forte ruamus in Orcum
Vix ubi blaſphemo dicitur ore Deus;

Pro me ſemper amet Quis noſtro in Carmine Amorem;
Voce meaque Deum concinat alter Amor.

Lector amice, precor, ne dedignere Libellum:
Hunc lege, ut ipſe Deum, me ſine, ſemper ames.

Sin Vatem æterno Judex Amor orbet Amore;
Hæc ſaltem recinas Carmina, amore mei:

O mea Mens, & Amor meus, o Deus Omnia Solus!
Quo ſum, Quo poſſum, Quem loquor uſque modo:

Quem modo Vivus adhuc, aliena laude ſuperſtes,
Ore, & Amore meo, NUNC AMO, SEMPER AMO.

FINIS.

SYNOPSIS.

a Aqua

SYNOPSIS.

pedes

SYNOPSIS.

SYNOPSIS.

Su.

SYNOPSIS.

SYNOPSIS.

Venia

SYNOPSIS.

FINIS.

HOc Opus inscriptum *Pius Amor Inter Lilia*, *&c. a R. P. D. Joanne Baptista Barzisa C. R.* Compositum, & juxta assertionem Patrum, quibus id commisimus, approbatum, ut Typis mandetur, quo ad Nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præsentes litteras manu propria subscripsimus, & solito nostro Sigillo firmavimus. Romæ die 4. Junii 1723.

D. Cajetanus Pinelli Præp. Gen. Cleric. Regul.

D. Carolus Gallius C. R. Secr.

NOI REFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOA.

AVendo veduto per la Fede di revisione, ed approbazione del *P. F. Gio: Paolo Mazzoleni Inquisitore di Verona* Nel Libro Intitolato: *Pius Amor Inter Lilia, & Jacula Modulatus, &c.* non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro; niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo Licenza a *Pierantonio Berno Stampatore in Verona*, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padoa.

Dat. 6. Luglio 1723.

(
(*Alvise Pisani Kav. Proc. Ref.*
(*Zan Piero Pasqualigo Ref.*

Agostino Gadaldino Segret.

TYPOGRAPHUS.

Ex eodem PIO AMORE nonnulla Opuſcula ſparſim edita, Pio Lectori hic indicare viſum eſt.

NAZARETH VERON. INSTAURATA: *ſeu Geſta Sanctorum Veronæ, ejuſque Sacriora Monumenta Metro dicta ad hic pridem Epiſcopum, nunc S.R.E. Cardinalem, Barbadicum.*

IL SACRO RAZIONALE: Didaſcalia intorno alle Azioni fatte in Verona da Monſig. Gianfranceſco Barbarigo già ſuo Veſcovo, poi di Breſcia, ora Cardinale, e Veſcovo di Padova.

BETULIA ASSEDIATA, PENITENTE, VITTORIOSA: cioè modo di ottenere il Divin Soccorſo in occorrenza di Guerra moſſa dal Turco alla Criſtianità. A Monſig. Marco Gradenigo Veſcovo di Verona.

L'ARCA INCORONATA, ed il ſuo Apparato, per l'Incoronazione di Maria di Loreto della Giara in Verona.

LE IMPRESE di S.GAETANO: cioè le ſue Virtù figurate, e dichiarate in altrettante Impreſe.

S. GAETANO in VERONA: cioè le Azioni da Lui fatte in Verona nello ſtato di Prelato Secolare, cavate da vecchi Manoſcritti. Parte Prima.

IL SANTO FORTE: cioè le Azioni di Sant' Andrea Avellino C. R. compreſe in dodici Encomj, in occorrenza della ſua Canonizzazione: A S.E. Angelo Emo Prov. Straord. della Milizia Veneta in T. F.

Riſtretto della Vita di S. Andrea Avellino C. R.

Ritus pro ineuntis Anni Sanctiori Auſpicio.

Ragguaglio del Sacro Abitino dell' Immac. Concezione di Maria.

LA VITA DEL PANE DI VITA: cioè dodici Emblemi, figurati, e ſpiegati intorno all'Auguſtiſſimo Sacramento dell'Altare.

L'ALBERO DELLA VITA: cioè altri dodici Emblemi intorno al medeſimo Auguſtiſſimo Sacramento.

PIUS AMOR INTER LILIA, & JACULA MODULATUS.

IL FINE.

NAZARETH
VERONENSIS
INSTAVRATA.